GASPARIS COLINII CASTELLONII, MAGNI QVONDAM FRANCIÆ AMIRALLII, VITA.

PSAL. CII.

Iustus sempiterna memoria vigebit: neque vnquam labefactabitur.

M. D. LXXV.





GASPARIS COLINII CASTELLONIJ, MAGNI QVONDAM FRANCIAE AMIRALLIJ, Vita.



EST in Segusianorum finibus, haud procul à Sequanis, vicus, nomine Colonia, vetustate summa: cui arx imminet, quondam munitissima. qua de caussa patrum auorúmque memoria populari lingua Fortalitium, id est, propugnaculum vicinitatis illius dicebatur. Eius vici atque arcis domini vsitato proauorum more, Decolonia vocabantur: postea corrupto inter Gallos nomine Colinij dicti sunt. Vetus incolarum opinio est, à Cæsaris scriptis non aliena, eum ipsum esse locum, in quo Cæsar, cùm in Galliam exercitum duceret, Aeduorum & Ambarrorum legationes audiuit, querentium de Heluetiis, qui copiis in Galliam traducendis illorum agros populabantur: propterea

quòd proximus collis Iulij nomen etiã nũc obtinet. Finitimus verò vicus, Cæſaria nominatur. Illud conſtat, Coloniæ dominos quondam latiſsimos in hac regione agros, poſſeſſionéſque habuiſſe: in eorumque ditione non multis abhinc ſeculis fuiſſe opida Nantuam & Monluettum, totúmque illatum ciuitatũ territorium. Cuius rei cùm alia multa teſtimonio ſunt, tùm verò menſurarum auctoritas documento eſt: quæ hodie quoque in opidis, pagis, caſtellíſque finitimis, Colonicæ appellantur: & ſemper ab incolis illi Coloniæ acceptæ latæ ſunt. Eſt autem Colonicæ gentis inſigne pro ſtemmatibus (quæ conſuetudo vetus familiis illuſtribus ac nobilibus attribuit) Aquila coronata: cõſtátque ſummi imperij ius (quod maiorum conſuetudine Regaliorum dicebatur) in eadem gente fuiſſe: hoc eſt, vt in ſuæ ditionis homines ius vitæ & necis haberet, capitis damnatos in integrum reſtitueret, pecuniam cuderet, atque illius aquilæ coronatæ nota inſigniret: tributa, & vectigalia, ſi quando vſus ferret, ſuis cliẽtibus & colonis imperaret. Itaque pro tantis opibus magnum ſacerdotiorum numerũ inſtituerunt, quæ maximis vectigalibus

ornarunt.in his abbatiam Mirullianam, sitam in Vicecomitatu Auxoniæ: alteram Mommerlinam, itémque Celliomicam in Segusianis:& Coligniam in Burgundia:eodémque iure priuilegia & immunitates Coloniæ dederunt, aliísque opidis nonnullis: in his Treffortio, Iasseroni, Sangermano, Damberio, Amburneio, Ponssinio, quorum incolæ hodiéque ius illud sibi à Colonicis Principibus datum retinent. Extant in Abbatia Mirulliana monimenta quædam vetera, in quibus memoratur Hubertus Decolonia, qui anno M.C.XLVI. Cōradum III. Imperatorem in Orientem ad recuperandas Hierosolymas cum ingenti exercitu profectum sequutus, cùm certis de caussis domū reuenisset, paucis diebus sese ad reditum instruxit, secumque filios quinque abduxit, Guiriciū, VVilhelmum, Hubertum, Guidonem, Dalmacium, & Bernardum. Ex iisdem & aliarum Abbatiarum literis ac monimentis cognitum est, Guiricio natum Hubertū, Coloniæ & Andelotti dominū: ab hoc procreatum Amedeum, inde Stephanum, tum Ioannem, pòst alterum Stephanum, mox Ioannem, tū Iacobum, inde VVilhelmū, qui Baronatū de

monte S.Ioannis vulgò dictum,in Burgundiæ ducatu obtinebat: & opidi atque arcis Castellonicæ in Gallia dominus erat, quod opidum ad ripam amnis Longiflui situ est. Ex eo Ioannes natus; & ex Ioanne Gaspar, nostri huius Gasparis pater. Hæc enim annorũ ferè quingentorum illustris ac nobilissimæ stirpis memoria in monumentis, domesticisque literis conseruata est. Floruit autem Gaspar huius nostri pater, sub Rege Francisco primo: vxorémque habuit Ludouicam Monmoranciam Annæ Monmorãcij magni Franciæ Comestabuli sororem.& cùm in arce, quæ opido Castellonio præsidet, domicilium haberet, Gallica consuetudine, Castellonij dominus appellatus est. Vnde cognomen ad filios ac nepotes propagatum. De illius virtute,præclarum extat testimonium Martini Bellaij, viri fortissimi,qui Gallicam sui temporis historiam literis mandauit. Nam in libro Commentar. II. in hanc ferè sententiam scribit: Anno M.D.XXII. Amirallius Bonniuetus Fõtarabiam in Hispanorum finibus ceperat. Vt primùm in Galliam reuersus est,suásque secum copias reduxit; Hispani magno exercitu opidum illud obsidere cœperunt: qua

obsidione

obſidione (cùm ad menſes circiter XII. duraſſet) opidani ad ſummã rerũ omniũ inopiã redacti ſunt: conſtátque inopia & fame quãplurimos periiſſe, rémque in extremũ adductã eſſe diſcrimen. Quod vbi Regi renunciatũ eſt, Mareſchallo Caſtellonio mãdauit, vt exercitũ quàm maturrimè cõficeret, eúmque obſeſſis ſubſidio duceret. Conſcripto exercitu Caſtellonius magnis itineribus eò cõtendit. Verùm vbi Baïonæ propinquauit, graui morbo oppreſſus, magno Regni Gallici detrimento, è vita exceſſit. Magnũ enim vir ille vſum in re militari habebat, ſummámque auctoritatem obtinebat. Hæc Bellaius. Mortuus eſt autẽ Gaſpar in opido Ax vulgò dicto, IV. Auguſti: anno M. D. XXII. tribus relictis filios: Odeto, Gaſpare, & Franciſco. De Ludouica verò ipſius coniuge illud memoratu dignum eſt, quòd cùm ita ſanctè vitam inſtituiſſet, vt pudicitiæ exemplum haberetur, & Reginæ Helionoræ Franciſci primi coniugis honoraria (vt loquuntur) matrona fuiſſet, moriens veræ & caſtæ religionis ab ſeſe agnitæ, teſtimoniũ hoc dedit. Nã cùm perpetuò illud ex Dauidis Pſalmo in ore haberet: Et miſericordia eius à progenie in

progeniem timentibus eum:Odettum Castellonium filium suum, natu maximum, qui iam tum Cardinalis factus fuerat, monuit,grauitérque interdixit, ne quem ad se sacrificulum,néve missificem adire sineret: singulari Dei beneficio sibi patefactum esse, quemadmodum & piè illum venerari, & ex his corporis vinculis ad cœlestem patriam emigrandum esset. Decesit Lutetiæ anno M.D.XLVII:in ea domo quæ iam Mommoranciana dicitur. Primus autem ex filiis Odettus(vt dictum est)à papa Clemente septimo, qui familiæ amplitudinem ad suas opes in Gallia confirmandas accommodatam existimabat, anno ipsius ætatis decimosexto Cardinalis creatus est, maximísque & opulentisimis sacerdotiis à Rege muneratus. Qua de caussa prærogatiuam quæ maximo natu debebatur, secundus,cui(vt diximus)Gaspari nomē fuit, adeptus est. Natus est hic Gaspar anno M. D.XVII.mēsis Feb.die XVI. qui cùm puer indolē virtutis atque ingenij mirificā ostenderet,mater eū patre mortuo bonis literis ab ineunte ætate imbuendū curauit: eique Nicolaum Beraldum, qui tum eruditionis laude in primis totius Galliæ florebat, præ-
ceptorem

ceptorem attribuit. magiſtros etiam rei militaris & armorum tractādorum quàm potuit peritiſsimos adiunxit. His diſciplinis Gaſpar inſtitutus, cùm ad annum ætatis vigeſimum quartum perueniſſet, & Regis Franciſci filius, Delphinus vulgò dictus, Baiuſium obſideret, miram in illa oppugnatione alacritatem oſtendit. Bellaius libro hiſtoriæ ſuæ decimo, ſub anno M.D.XLIII. teſtatur eum, cùm ad foſſam propius acceſſiſſet, glande plumbea in gutture vulneratum ab hoſtibus fuiſſe. Eodem anno cùm eidē Regi nuncius allatus eſſet, rerum ſuarum in Inſubribus hunc ſtatum eſſe, vt propediem cum hoſtibus iuncto prælio dimicandum videretur, venia à Rege petita, iumentis diſpoſitis, eò aduolauit: magnúmque in eo prælio (quod Ceriſolinum vulgò appellatum eſt) virtutis ſuæ ſpecimen dedit. quod etiam idem Bellaius decimo Commentariorum teſtatur. Quapropter annis non ita multis interiectis, Henricus Rex, Franciſci filius, honorem ei mandauit ſummum. Nam cùm Anna Monmorancius, Gaſparis auunculus, equitatui præeſſet, hunc pedeſtribus copiis Gallicis præeſſe iuſſit: quæ præfectura populari lin-

gua, Colonellus peditatus appellatur. In ea poteſtate ita ſe geſſit, vt paucis menſibus magnam ſibi iuſtitiæ, fortitudinis, prudentiæ laudem pararet: totiúſque plebis Gallicæ gratiam iniret. Nam cùm anteà perditiſſima conſuetudo inueteraſſet, vt milites ſub vexillo paſſim vagarentur, rapiníſque & direptionibus omnia complerent, Gaſpar diſciplinā militarē arctioribus legibus adſtrinxit, quibus eorum laſciuiam coerceret, ac præſertim exſecrationum & blaſphemiarum licentiam: ex quo veræ pietatis ac religionis ſemen iam tum in ipſius animo apparuit. Cúmque leges illæ tantoperè bonis omnibus probatæ eſſent, non multò pòſt Regis imperio ac nomine promulgatæ ſunt, & in Regiarum legum volumen relatæ. Per id tēpus, Gaſpar ab eodem Rege eo honore affectus eſt, qui nunc quidem euiluit, tùm verò magnæ dignitatis habebatur, vt in Regiorum equitum collegiū cooptaretur: qui vulgò Regalis ordo appellatur. Exoriebatur tùm inter Henricū Galliæ, & Henricū Angliæ Reges ſimultas propter opidum Boloniam, quod per conditiones pacis non multò antè factæ Anglis oppigneratum fuerat. Itaque cùm Galliæ Rex

Anglis diffideret:Gaſpari regionis illius totiuſque ferè negotii adminiſtrationem mãdauit. Qua recepta continuò in Picardiam profectus, quò Henricus ſuas copias opidi obſidendi cauſa miſerat, caſtellum propè ab opido ſingulari artificio extruxit, quod & Gallis præſidio, & opidanis magno aduerſus excurſiones impedimento eſſe poſſet. Id caſtellum ab auctore etiam nunc Caſtellonicum dicitur: magnúmque ad illam expugnationem ac victoriam momentũ attulit. Itaque nõ multo tẽpore interiecto Angli de compoſitione agere cœperunt: cuius conficiendæ cura omnis Gaſpari & Rupipotio ipſius auunculo mandata eſt. His rebus geſtis Gaſpar ad Regiam profectus, paucis pòſt annis magnus Franciæ Amirallius à Rege creatus eſt: quæ ſumma inter Gallos dignitas habetur. propterea quòd Oceani quà ex parte Galliam alluit, ſummum habet imperium: claſſique & maritimis copiis, naualibúſque Regijs omnibus præſidet. Eidem quoque decretæ à Rege prouinciæ ſunt duæ: Picardia, & Inſula Francica: magnúſque inſuper honos habitus, vt centum cataphractorum equitum præfectus eſſet, ſanctioríſque Senatus Regij conſilia-

rius. Consecutus est annus M D L I V, quo Carolus V. Germanorum Imperator, & Maria Angliæ Regina, coniunctis copijs bellum graue atque acerbum Henrico Galliæ Regi intulerunt. Tantis hostibus, qui consilio & virtute resisteret, vnus, omnium bonorũ cõsensu, Gaspar delectus est. Itaque asperrimi formidolosissimíque belli administratio, quod ad Picardiã maxima ex parte pertinebat, Amirallio à Rege mandata est: vt coactis copijs, Belgarum finibus præsideret. Erat ex coniunctis tantorum hostiũ copijs, & Caroli V. opinione, quæ per orbẽ terrarum peruaserat, Rege verò tum à pecunia, tum à ceteris rebus ad bellum ducendum necessariis imparatissimo, magnus passim cũctæ Galliæ iniectus timor. neque cuiquam dubium erat in tanta rerũ omniũ difficultate, quin paratum Galliæ exitium videretur. Quod cùm Amirallius & Regi nuntiandũ curasset, & cũ amicis cõmunicasset, optimũ factu iudicauit, ab inducijs remediũ petere. Hoc ipsius consiliũ cùm & Regi & ipsius cõsiliarijs magnoperè probatũ esset, eius negotij administratio ipsi mãdata est: quod paucis diebus incredibili ordinum omniũ lætitia, & gratulatione cõfecit:

sum-

summámque ex ea re, patriæ conseruandæ laudē est adeptus: cùm earū induciarū conditiones patriæ honestas & maiorē in modū vtiles adhibuisset. Sub idē illud tempus Guisii è Lotharingis orti, qui sibi Siculū & Neapolitanū regnū deberi, suísq; maiorib. per iniuriam ab Hispanis ereptum dictitabant, Henrico Regi persuaserunt, magnam se superioribns annis Neapolitanæ nobilitatis partē beneficiis & pollicitationibus conciliasse: per eos facilē in illud Regnum aditum futurum: si modò Rex copiarum suarū partem illis concrederet: breui tempore fore, vt illa regna sub ipsius ditionem nullo negotio redigerentur. Ita Guisiorum consilijs induciæ paucis antè mēsibus iuratæ magno gentis Gallicæ dedecore violatæ sunt: quam perfidiam Amirallius grauiter molestéque tulit: sæpenumerò dictitās, semper exitiales istiusmodi perfidiarū exitus fuisse, Deúmque certissimū periuriorum vltorē omnibus seculis exstitisse. Eò accedebat, quòd Regis imperio cogebatur in sua prouincia contra pacem & fidem datā bellica consilia moliri. Qua ex re primùm simultatū, pòst etiā capitaliū inimicitiarū, quæ inter illos exstiterūt, initiū natum constat. ac-

cessit etiam quòd, duello inter duos nobiles in Picardiæ finibus à Rege constituto, etsi tum præsens Guisius aderat, tamen Amirallius, quòd in sua prouincia duellum illud committebatur, faciendum sibi putauit, vt ei præesset. Illa præterea Guisianici in illũ odij caussa cõmemoratur, quòd cùm adolescentes summa inter se familiaritate coniuncti fuissent, parique vestimentorum habitu amicitiæ testandæ caussa vterentur, Guisius Amirallium consuluit, quid sibi videretur de Aumallij fratris sui consilio & animo ducendæ in vxorem filiæ Seneschallæ Valentinianæ: cuius summa erat apud Henricum Regem gratia, sed nõ minor apud bonos infamia. Cui respondit Amirallius, Pluris se tantillum bonæ famæ, quàm ingentes opes estimare. quod Amirallij verbum Guisius & Aumallius acerbissimè tulerunt: quasi ad deterrendos à maiore potentia & dignitate Guisios pronuntiatum. Verumtamen vbi Regi nuntiatum est, copias in Belgarum finibus ab Hispanis cogi, exercitúsque vnum in locum conduci, Picardiæque primo quoque tempore prouidendum esse: commodissimum visum est, Amirallium, quem illi prouin-

ciæ præfectum fuiſſe ſuperius demonſtratum eſt, eò cũ aliquot copijs proficiſci. Vix bidui viam progreſſus, ab exploratoribus certior factus eſt, Hiſpanis eſſe in animo, Sanquintinum (quod eſt opidum Picardiæ non ignobile) obſidione cingere, multíſque tormentis muralibus quamprimum oppugnare. Simul à Brullio Hannicæ arcis præfecto litteras accepit, vt primùm ea de re ad ciuitatis illius incolas perlatum fuiſſet, tantam tota vrbe trepidationem exortam eſſe, vt complures patreſfamilias, relictis rebus omnibus, cum coniugibus & liberis fugam compararent. Qua re Amirallius cognita, diſſimulandum tamen apud ſuos ratus, ſummámque animi alacritatem præ ſe ferens, magnis itineribus Sanquintinum ire contendit. Cùm ab hoc conſilio Gernacus & Luſarcius (quem Amirallius equitatui præfecerat) multis eũ verbis deterrerent: demonſtraréntque opidum illud neque operibus munitum eſſe, neque frumento, ceteróque commeatu inſtructum: præterea ciues terrore perculſos: magnáſque hoſtium copias prius affuturas, quàm quidquam ad opidi defenſionem prouideri poſſet: ſatius eſſe, & ad laudem aptius,

paten-

patentibus locis bellum gerere, quàm mœnibus inclusos de sua salute cogitare. His illorũ verbis nihil cõmotus Amirallius, in suscepto cõsilio perseuerauit: cũ & quãti momẽti opidũ illud, ad Hispanorũ impetũ à patriæ interitu propellẽdũ, & prouinciæ suæ salutẽ: & quantã mutato consilio sermonũ ansam inuidis ac maleuolis præbiturus esset, illis demonstraret. Postridie perlatũ est adeũ, magnam eorum militũ partem, qui ei Regis mandatu, ad opidi defensionẽ attributi fuerant, quósque vna nocte confirmandorũ opidanorum caussa præcesserat, metu perterritos in proximas se siluas abdidisse: domúmque deuijs itineribus reuertisse. Itaque illo die non plures C X X secuti sunt, quos alij postridie pari numero sunt subsecuti. Qua re hostibus per exploratores nunciata, celeriter ad opidũ aduolãt, distributísque operis illud circũuallare instituũt. Cùm ædiculas quasdã in suburbijs occupasset, ac iam sinuosis secturis fossæ propinquassent, Amirallius eruptione facta, faces sarmentáque in ædes illas inferri, eásque incendi iussit: quo incẽdio lõgius hostes propulit. Postridie omnibus in circuitu opidi partibus circumspectis: vbi nulla propugnacula, nullos

agge-

aggeres, nullas munitiones animaduertit, diffidere opido, ac longinquam oppugnationem vereri cœpit. Veruntamen quando ita fortis suæ ratio ferebat, vt vel opidũ tueri, hostiúmque impetum à patriæ interitu propulsare, vel pro patria fortiter occumbere cogeretur: quantum cura, labore, vigiliis eniti atque efficere potuit, nihil in munitionibus exstruendis, fossis fodiendis, aggere vndique comportãdo prætermisit. atque vt ciuibus, militibúsque, & euocatis nobilibus, qui vnà venerant, industriæ ac laboris exemplum præberet, primus ipse operibus faciendis manum admouebat, neque vnquam ab illis discedebat. Tanta solicitudine affecto, repentè, præter expectationem nunciatum est, Andelottum ipsius fratrem (de quo superius mentio facta est) in opidũ introiisse, secúmque circiter quingẽtos milites adduxisse. Simul Rex ab ipso certior factus, quantum in discrimen opidum illud adductum videretur, Comestabulum cum aliquot equitum turmis eò proficisci iubet, commeatúmque introferre, & præsidio maiore opidum munire. Hunc Hispani magno Germanorum equitatu, magnísque peditũ copiis circunuẽtum, prælióque superatum

ceperunt, eiúsque copias magnis illatis incommodis in interiorem Galliam repulerunt. Quo nuncio in opidum perlato, tātus omnium animos incessit timor, vt nullus propè Amirallij cohortationibus relinqueretur locus. Hoc dolore permotus, & tanto patriæ periculo perculsus, concionem aduocat. demonstrat maiorem patriæ, quàm vitæ rationem duci oportere: ciueísque ac milites omnes iusiurādum adigit, siquis de deditione verbū faceret, capitale esset, impunéque interfici liceret. Princeps ipse in ea verba iurat. Hispani tanta victoria elati ad opidi oppugnationem reuertūtur: neque per dies xx. ab ea tormentis verberanda desistunt: fecturásque in anfractum circū mœnia deducunt, quibus tecti ac latitantes ad vrbis fossas accederent. Vbi continuis tormentorum ictibus, magnam muri partem euersam Amirallius animaduertit, aditúmque in vrbem latissimum patere, atque hostes inibi esse, vt iam iā irrumperent, cohortatus milites, vt vnum impetum sustinere vellent, si eum propulsassent, hostes nō facilè fortunam iterum tentaturos: quem maximum ac latissimum aditum esse vidit, ad eū armatus constitit. reliquas vrbis parteis fratri.

tri cæteríſque amicis propugnandas attribuij. At hoſtes firmum in illa parte præſidiũ conſpicati, duabus aliis ex partibus introrũpere cœperunt, quod vbi Amirallio nũciatũ eſt, relictis in illa ſtatione iis, quibus maximam habebat fidem, ad proximam ſtationem contendit: quã ab hoſtibus depulſam, locumque iam ab illis occupatum reperit, iámque partem vrbis multitudine armatorum compleri animaduertit. Erat cum ipſo adoleſcens nobilis, quem domi puerum educarat, Auentinius: vnáque ſeruulus, & puer nobilis, qui ſpiculum ferebat, quos repentè aliquot Hiſpanorum cohortes impetu facto circumueniunt: agnitumque Amirallium comprehendunt. Hoſtes opido potiti Amirallium Antuerpiam deducunt: vbi morbo graui affectus, dieſque XL. febribus iactatus, vt primùm remittere morbus cœpit, afferri ſibi codicem ſacræ Scripturæ iuſſit, cuius lectione luctum ac mœrorem animi leuaret: tantumque in eo ſtudij poſuit, vt iam tum purioris religionis & veræ pietatis guſtum capere, verámque inuocandi Dei rationem condiſcere cœperit. Vbi precio aureorum quinquaginta millium, pro capite, diſſoluto, domũ poſtliminio reuer-

ſus eſt, nactus otium, & aulicarum factionũ pertæſus, ac iam tum de religione ſeriò cogitans, permiſſu Regis præfecturam Gallici peditatus Andelotto fratri tradidit: prouinciam inſulæ Franciæ conſobrino ſuo Mareſchallo Mommorancio, Comeſtabuli filio. Neque ita multò poſt vnum è familiaribus ſuis ad Regẽ mittit, qui ei demiſſiſſimè ſuis verbis nunciet, ſibi eſſe in animo prouinciã Picardicam deponere: videret cui eam decerni placeret. Reſpondit Rex, mirum ſibi nouum iſtud illius conſilium videri: neque ſatis pro ſano facere, qui vno tẽpore tot ſe imperijs ac magiſtratibus abdicet. ex eoque tempore cœpit Amiralius apud multos in religionis cõmutatæ ſuſpicionem venire. animum quidem ab omni ambitione, & po tentatus ſtudio alieniſſimum oſtendit. Aliquanto intermiſſo tempore, Henrico Regi mortuo, Franciſcus eius filius adoleſcens ſucceſſit. Habebat hic in matrimonio Mariam Scotorum Reginam, Guiſij ſororis filiam: qua de cauſa ſummum apud Regem gratiæ atque auctoritatis locũ Guiſiani obtinebant: regnúmque Angliæ, quod ad ſuã illam cognatam pertinere affirmabant, aliquoties ei oſtentabãt: iámque Regis auun-

culi passim in Aula vocabantur. Cùm illorum ingeniū Amirallius crudele, barbarū, truculentum nosset, viderétque nunquam illos à turbulentis consiliis temperaturos, in primis autem religionem acerrimè vexaturos, ad pristinum suum cōsilium rediit: prouinciámque deponere statuit. Itaque Ludouicum Borbonium Regij sanguinis Principem, Condæum vulgò dictum, qui sororis suæ filiam in matrimonio habebat, de suo consilio certiorem facit: hortatur vt prouinciam illam à Rege petat. Ita curis solutus Amirallius, negotiísque quamplurimis liberatus, quæ pium ipsius animum à religionis studio abducebant, domi se in arce Castellonia cōtinebat: eo lubentius, quòd coniugem habebat, Carolam Lauallliam, illustri atque antiquo genere prognatam, & (quod ille summum Dei beneficium deputabat) religionis studio mirificè deditam: vt etiam virum suum ad superstitiones, & idolorum cultum abiiciendū, Christianámque religionem toto pectore amplectēdam hortaretur. Vbi Amirallius illam cupidius ac sæpius eadem de re agere animaduertit, semel quoque ipse cum illa seriò agere instituit. Itaque multis verbis ei demonstrat,

neminem ſe tot annis aut vidiſſe, aut audiſſe, vel in Germania, vel in Gallia, qui religionem ſtudioſius amplexus eſſet, quin magnis ærumnis, & calamitatibus tantùm nō opprimeretur. Regum Franciſci I. & Henrici II. leges eſſe, quæ à Parlamentis omnibus ſeueriſsimè obſeruentur, vt eius religionis damnati, locis publicis viui vſtularentur, bonis omnibus Regio fiſco addictis: tamen ſi ſe ita paratam animo conſideret, vt communem Religioſorum conditionem nō recuſaret, ſuo ſe officio non defuturum. Reſpondit illa, non diſsimilem eſſe Religioſorum eius temporis conditionem, ac ſemper omnibus ætatibus in Eccleſia Dei fuiſſet: neque dubitare quin eadem vſque ad finem mundi perpetuò maneret. Data vtrinque atque accepta fide, cœpit ſenſim Amiralliꝰ ſuos domeſticos ac familiares piis ſermonibus ad Dei cognitionē adducere: iiſque non modò Biblia ſacra, verùm etiam libellos Gallicè de religione conſcriptos, legendos tradere: ſimulque blaſphemiis & impiis execrationibus in Galliæ regno, ac præſertim apud Aulicos vſitatis interdicere. Liberis etiam pios gubernatores ac præceptores attribuit: vt paucis mēſibus inter-

miſſis

missis, noua Castellioneæ domus facies appareret: cæterique duo ipsius fratres Odettus, quem in Cardinaliū numerum cooptatum superius demonstrauimus, & Andelottus illo exemplo vehementer ad religionis studium incenderentur.

Fuerat enim Amirallius semper ab ineūte adolescētia in Aulæ regiæ deliciis atque corruptelis educatus. neque contagionis illius expers habebatur. Verùm vbi religione vera imbui cœpit, tanta repentè cōmutatio in ipsius vita & moribus apparuit, vt facilè liceret diuini Spiritus vim in tam subita cōmutatione perspicere: verissimumque illud Christi verbum agnoscere, Qui Spiritu diuino affecti sunt, eos quodammodo renasci, nouósque homines effici. Ac memoria dignū videtur, quod priusquam ad Christianum epulum & Cœnæ Dominicæ sacramentum accedere auderet, ei vsu venit. Sæpenumero cum eruditissimis quibusque Gallicarum Ecclesiarū pastoribus, non modò de transsubstantiatione (vt Sorbonici loquuntur) verumetiam de cōsubstantiatione collocutus erat: atque, vt ingenij humani natura fert, vt localē aliquam & inclusam quā certo loco adoret diuinitatis

diuino & cœlesti & supernaturali modo cō
fici. porrò cùm actio illa non panis aut vi-
ni causa, sed hominis Christiani gratia in-
stituta, atque ad eum finem referenda esset,
frustra curiosius exquiri, ecquid in pane, cū
pane, sub pane, intra panem, aut circa panē
permixtū esset. Panem & vinum ad exter-
nam actionem pertinere: quemadmodum
in Baptismo aqua & immersio. sursum igi-
tur ad cœlestem & interiorem actionem a-
nimum attollendū esse, vnumque illud co-
gitandum, quid Deus illo mysterio efficiat:
quod Paulus illis demonstrat verbis: Panis
quem frangimus, nónne communicatio est
corporis Christi? & cum eo exclamandum:
Arcanum mysterium, Christi & Ecclesiæ cō
iūctio. Denique verissimè ab Augustino di-
ctum, Manducare cibum qui non perit, sed
permanet ad vitam, est credere in Christū.
Vt quid paras dentem & ventrem? crede &
manducasti. Item: Nolite parare fauces, sed
cor. Inde commendata est illa Cœna. Ecce
credimus in Christum, quē fide accipimus
Quibus verbis Amirallius eruditus primū
Deo, tum Ecclesiæ illi gratias egit: ac iam
tum in animum induxit, quo primùm die
Cœna celebraretur, ei adesse, & eius sacro-

ſancti myſterij particeps fieri. Cuius rei fama cùm per vniuerſam Galliã percrebuiſſet, incredibile dictu eſt, quanta Eccleſiæ omnes lætitia & conſolatione affectæ ſint. nã etſi vſque ad id tempus qui religionem colebant, ſeuerisſimis Regum interdictis, Parlamentorum autem aſsiduis animaduerſionibus ac ſuppliciis affligerentur, clandeſtinóſque cœtus, veterũ Eccleſiarum ritu, habere cogerentur: tamen religio mirandum in modũ per omnes Galliæ prouincias propagabatur. de quo etiam in Regum Hẽrici & Frãciſci II. edictis crebra videre teſtimonia licebat: cùm identidem quererẽtur, quo maius ſtudium ipſi, exemplum Franciſci I. ſecuti, in illa religione comprimẽda adhiberent, eò magis illam in dies ſerpere, ác ſeſe per omnes regni partes fundere, maiúſque incrementũ capere. Non multò pòſt Amboſiæ tumultus exortus eſt, & cõiuratio nobilium permultorũ facta de Guiſiis è medio tollendis, quorum impotentiam ac ferociam nõnulli Galliæ Principes ac proceres ferre diutius non poterant. Cùm ab illa factione Princeps Condæus nõ alienus putaretur, eiuſque frater Rex Nauarrus aliquãto poſt moturus quoque aliquid videretur, cõ

modiſ

modiſſimum Guiſiis viſum eſt, procerum aliquot conuentum in villam Fōtaneblæā à Rege indici, vt qualis cuiuſque de religio ne ſententia eſſet, cognoſcerent. Vbi dies eius cōuentus venit, qui fuit xxiiij. Auguſti M.D.LX, cùm ij qui in eo concilio aſſidebant, iam eſſent à Rege, vt ſententiam dicerent, rogati, Amirallius è ſella conſurrexit, & honorificentiſſimè ad Regem accedens, duos illi libellos ſupplices obtulit, hoc titulo inſcriptos: Supplicatio eorum, qui per varias Regni prouincias, ritè & piè Deum inuocant. Vterque libellus Regio ſcribæ Albeſpinio traditus eſt, vt eos clarè de ſcripto recitaret. Hoc Amirallij factum, propter rei nouitatem, & ſuperiorum temporum rationem, Regíſque animum religioni infeſtiſſimum, & ſummam Guiſianorum potētiam, non modò Regi, verumetiam vniuerſo concilio audacius viſum eſt. Libellorum ſentētia hæc fuit: Eos qui piè ac ritè Deum inuocabāt, vſos hac opportunitate temporis, ſupplicitèr à Regia maieſtate petere, vt ſua clementia & lenitate in maximū ſuorum ſubiectorum numerum vteretur, qui vſque ad illud tempus multis affecti incommodis, multáſque miſerias atque acerbitates, pro-

pter religionis, ſtudium perpeſſi fuerant. Poſtulare ſuppliciter, ne grauetur cauſam ſuam cognoſcere: & Scripturam ſacram in iudicium tantarum controuerſiarum adhibere. Perfacilè intelligi poſſe, quantopere non modò ab hæreſi abhorrerent, cuius criminis ſuperioribus temporibus inſimulati fuerant; verumetiam à ſeditione, quòd non ad vim aut arma, ſed ad vnicam Regis clementiam & lenitatem in ſummis ſuis miſerijs confugiendum putaſſent. Interea placeret ipſius Maieſtati, iudicia quæ in ipſos exerceri ſoleret, inhibere: quibus iudicijs nulla pars ſui Regni non cruentata ſuperioribus annis ſuorum ſubiectorum ſanguine fuiſſet. miſeram vſque ad huc ſuam conditionem fuiſſe, cùm apud eos Iudices cauſſam dicere cogerentur, qui Pontificis Rom. clientes & beneficiarij aduerſariorum potius quàm æquorum Iudicũ ac diſceptatorum partes ſuſtinerent. Orare igitur vt tot familiarũ, & clientum ſuorum calamitates reſpiceret, qui eum pro Rege, ac domino clementiſſimo ſemper agnouiſſent, atque ex Dei præcepto piè ſtudioſéque coluiſſent, ſuámque in poſterum vitam, ſi vſus ferret, pro ipſius dignitate profundere
non

non recusarent. Aequum esse, cùm eos Deus in ipsius fidem ac tutelam commendasset, salutem ipsorum ab aduersariorum potentia & crudelitate defendi. Supplicare, vt bona ipsius venia deinceps liceat palàm locis publicis Deum inuocare, & à suis concionatoribus in veræ religionis studio erudiri, & sacramentis à Deo institutis frui: ne diutius eorum incognita religio maleuolis aduersariorum sermonibus propter clandestinos cœtus pateret. His libellis recitatis, sententiæ quidem ab omnibus dictæ sunt: sed non tam de religione, quàm de graui ære alieno, quo Regem tantumnon obrutũ atque oppressum esse querebantur. Multa autem liberius Amirallius pronunciauit, ac præsertim de copijs quas Guisij per speciem custodiæ Regiæ in vmbilico Regni coegerant: quasi Rex in peregrina, non in sua ditione esset: tantóque ad corporis custodiã præsidio indigeret. Tantã esse regij nominis autoritatem in Gallia, vt quæuis seditio vnius apparitoris aduẽtu, qui nomine Regio munitus esset, nullo negotio sedaretur. quod verbum altius in Guisiorũ pectus descendisse, eorúmque in Amiralliũ odium vehementius incendisse constat.

Nonnulli autem alij censuerunt commodissimum fore si publicum Regni consiliũ (quem Statuum conuentum vulgò appellant) indiceretur: demonstratumque est præsertim à Marillaco Viennẽsi Archiepiscopo, & Michaele Hospitalio Frãciæ Cancellario, cuius tum amplissima erat auctoritas, antiquissimũ illud ac perpetuum Frãcorum institutum fuisse: quod tamẽ assentatorum quorundam calumniis per annos septẽ & octoginta intermissum fuerat. Sub idem tempus Francisco II. mortuo, successit frater eius natu minor Carolus IX. annos natus circiter X. statímque vetus illud postulatum de publico Cõcilio indicendo renouatum est. Fuerat ad id tempus Katharina Medicea, Regis mater, natione Florentina, eo statu quo viduæ Reginæ cõsueuerant, gynæcei sui præfecta, personæ filij custos, ceteroquin à Reipub. gubernaculis remotissima, eóque in statu à Guisijs, quamdiu rerum potiti sunt, seuerissimè retenta est. Cùm per id tempus nobilitas Gallica diutius incendia & cruciatus, ceteráque supplicia religiosis imponi solita, passura non videretur, ac propterea periculum esset, ne qui noui motus nascerentur: & Re-

gina mater non alienum se ab religione animum habere simularet, Amirallius omni studio, labore, atque opera contendit, effecitque vt illa Antonio Nauarrorum Regi, cui Regni procuratio commissa fuerat, tantæ administrationis socia & particeps adiungeretur. Quod ipsius consilium fuere quamplurimi Reipub. amãtes viri, qui magnopere improbarent, atque ex omnium temporum historijs demonstrarent, nunquam Reginis matribus, præsertim alienigenis, Regni gubernacula tradita, quin ea res Gallicæ Reipub. perniciem atque exitiũ attulisset, ciuiliumque dissensionum ansam præbuisset. Vbi Concilij publici dies venit, qui nobilitatis nomine verba fecerat, sub exitum orationis, libellum supplicem Regiæ Maiestati obtulit: vt puriorem religionem (quam vulgo Reformatam appellant) propalam locis publicis colere atque exercere liceret. Huic vnus aduersatus est Quintinus, Iuris canonici doctor & Lutetiæ professor: qui longissima oratione ordinis Ecclesiastici nomine, non habita, sed de scripto recitata, sacerdotibus aliquot ad aurem, si quando hæsitaret, insusurrãtibus: dicere ausus est, omnes qui loca publica reli-

gionis exercendæ cauſa poſtularent, tanquam Regiæ maieſtatis reos & nouæ religionis fautores, ſupplicio dignos eſſe. Qua de re cùm Amirallius in Regio conſilio queſtus eſſet, territus Quintinus, confeſſus eſt, nihil ſe ſuo marte tùm elocutum eſſe: tantummodo traditum ſibi ab Eccleſiaſticis librum de ſcripto recitaſſe: paratum tamen eſſe, in eodem illo publico conuentu corā Maieſtate regia, teſtari ac pronunciare, ſe de Amirallio nihil omnino cogitaſſe: quod paucis pòſt diebus ab ipſo factum, ſimulque Amirallij expoſtulationi ſatisfactū eſt. Ad extremum, magiſtratibus omnibus Regni Gallici, quíque iuri dicundo præerant, regia auctoritate mandatum eſt, vt quos propter religionis cauſſā in cuſtodiis & carceribus continebant, quamprimum miſſos facerent: ſeueréque ijs interdictum, ne cui deinceps religionis nomine negotiū faceſſerēt. De locis publicis, vbi conciones haberi liceret, deliberatio reiecta eſt in alterum Concilium, quod Ponthoſiam Picardiæ opidum indictum, neque tamen habitum eſt. Sequenti menſe Ianuario, conuentu Principum ac procerum Galliæ totius in villam Sangermanam indicto, eodémque

missis ex singulis Parlamentis aliquot senatoribus, edictum Regia auctoritate factum, totáque Gallia promulgatum est, vt religionem in omnium opidorum suburbiis exercere liceret. Hoc edicto promulgato, cùm otium Regni constabilitum, ac iam respirasse Respub. videretur; atque in omnium ferè maiorum opidorum ipsiusque Lutetiæ suburbijs conciones placidè ac sedatè haberi cœptæ essent: nuncius allatus est, Ducem Guisium, qui se in Campaniam receperat, cædem in opido Vasseio, circiter ducentorum hominum fecisse, qui edicti Regij auctoritate freti concionem habuerant, Deóque hymnos, publicis precibus habitis, in horreo quodam cecinerant. Eam carnificinam dicebatur exercuisse Guisius, fretus noua Nauarri Regis amicitia, cuius animum infirmum pollicitatione Regni Sardiniæ induxerat, sibíque compluribus alijs promissis deuinxerat. Itaque fiducia eadem fretus, paucis pòst diebus, fratribus magnóque armatorum numero comitatus, ad Regiam profectus est. ibique Regem puerum & Reginam matrem, qui magno fletu violentiam illam deprecari videbantur, comprehendit: eósque primùm Melodunum,

mox Lutetiam abduxit. Per id tempus Regina mater crebros ad Amirallium nūtios misit: Principi etiā Condæo sua manu scripsit, vt sibi suisque liberis paruulis succurreret, & Regni salutē curæ haberet. His tot rebus Condæus excitatus, ac pleræque nobilitatis Gallicæ precib. adductus, arma capere, bellumque liberādi Regis caussa Guisianis inferre instituit: cùm sæpe palàm dictitaret, non sibi metuendum videri, ne quis eum calumniaretur, quasi religionē armis propagare vellet, aut Regi puero bellum inferre. Publicum enim totius Regni Concilium Aureliæ peractum: plebem in eo ac nobilitatem religionis cultum postulasse. decretum fuisse, ne cui ea res deinceps fraudi esset: pòst etiam edictum amplissimo in conuentu factum, vt eam in suburbijs & pagis exercere liceret. quidnam iuris Guisius è Lotharingis ortus, in Galliæ regno haberet? aut qua fiducia fretus istam in Regis subiectos crudelitatem exerceret? denique nihil esse, quod contra vim sine vi fieri posset. non igitur se bellum inferre, sed bellū pacatis illatum, bello defendere. Tota iam Gallia promulgatū esse, atque etiam in Germaniam perlatū, ducem Nemo-
reum

reum Guisiorum impulsu blandis sermonibus Henricum puerulum Regis fratrem (qui postea Rex à Polonis creatus est) tentasse, vt eum extra Regni fines exportaret: quod institutum & consilium puer matri indicarat: idque indicium per id tempus in manibus omniũ versabatur. Eosdem neglecta publici Concilij & Regij edicti auctoritate, furiosè atque insolẽter Vassiacam carnificinam exercuisse: Regi ac Reginæ matri vim attulisse, inuitósque illos Melodunum & Lutetiam, quò commodum ipsis fuerat, abduxisse: aliquanto antè in Germaniæ fineis progressos fuisse: postulasse ab aliquot Germanis principibus, vt in Protestantium numerum admitterentur. Tabernas (quod oppidum est Argentorato proximum) Christophorum VVirtebergicum, magni animi, magníque consilij Principem, inuitasse. Ibi Cardinalem Lotharingum duas apud illum Principem, compluresque & Germanos & Gallos, religionis cultores, eiusmodi conciones palàm in tẽplo habuisse, vt quãplurimis persuaserit, & se, & fratres suos religionẽ amplecti, suumque nomen inter Protestantes Principes profiteri cupere. Quibus cognitis rebus Cõ-

dæi institutum in tam multis Galliæ locis probatum est, vt paucis diebus complures ei se ciuitates dederēt, seséque in illius belli societatem adiungerent. In his Aurelia, Blesæ, Turones, Bituriga, Rothomagum, Lugdunum, Vienna, Valentia, Nemausum, Montalbanū: quæ primi ciuilis belli exordia fuerunt, cui Vassiacā carnificinā caussam præbuisse constabat. Cùm in Religiosorum parte, summa totius belli ad Condæū communi omnium voluntate delata esset: repentè Condæus eadem omniū voluntate præfecturam imperij sui Amirallio detulit, eumque legatum, imperijque sui vicarium, propter summam iustitiæ, grauitatis & sapientiæ opinionem, constituit. Inter hæc negotia Regina mater de pace agere instituit. cuius rei caussa petiit, vt in sua castra Condæus veniret. simul, vt tantisper Bogencium (quod opidum in flumine Ligeri pontem habet, atque ad id colloquiū aptissimum esse aiebat) ad paucorum dierum vsum sibi concederet. Condæus interposita fide, nullis acceptis obsidibus, solius fratris Nauarrorū Regis fide & Reginæ matris promissis fretus, in castra proficiscitur. Tantū ab Reginæ petit, vt dū illud collo-

quium haberetur, Comestabulus, Guisius, & Santandræus (qui vulgò Triumuiri euertendæ Reipub. dicebantur) è castris excederent. Qua re facta, Bogencio præsidium deducitur, opidũque Reginæ traditur. Huc confestim præsidium imponit, habitóque ad speciem de pace & reconciliatione colloquio, non modò Condæum retinet, verumetiam opidum occupat, rebusque ad bellum necessarijs muniendum curat. Qua perfidia permotus Amirallius deesse suo erga Condæum officio noluit. ac sine mora in aduersariorum castra cum equitatu profectus, tantum ijs terrorem intulit, vt Regina mater ei continuò reddi Condæum imperaret. Paucis etiam pòst diebus Amirallius copijs ad Bogencium adductis, opidũ expugnauit, ac vi, nõ sine suorũ detrimento, recepit. Per id tempus Amiralli j filius natu maximus, cui Gaspari nomẽ erat, morbo absumptus, Aureliæ diem suum obijt: annos natus nondum nouem: sed indolis eximiæ. qua de causa magnum ex ea morte luctum Amirallius percepit. Guisiani interea, cùm se à plerisque Gallis, quorum res agebatur, destitutos viderẽt, maiorémque partem Condianis fauere animaduer-

terent, ab exteris petendum sibi auxilium putarunt. Itaque missa in Heluetiam & Germaniam pecunia, pedestres, ab illis: ab his, equestres copias conduxerant. Quod esse certissimum perduellionis atque hostilis in Galliæ regnum animi documentum, sæpenumerò Amirallius dictitabat. Nam si de publico, inquibat, Gallorum iure, more maiorum disceptãdum est, Concilij publici decreta extant: cuius summam in regno administrando semper post regnum Galliæ constitutum, auctoritatem fuisse cõstat. sin res, iusto duello committenda, maiorem Gallorum partem à nobis facere, quis non videt? Exterorum autem copias, ad Gallos opprimendos accersere, nequaquam Gallici ingenij, sed barbaræ atque efferatæ mentis, animíque hostilis argumentum est. Verumtamen, ne tantæ suorum voluntati, ac tot ciuitatum studio, quæ se ad ipsius amicitiam adiunxerant, Amirallius deesset, cùm iampridem certior factus esset, de singulari Principum quorumdam Germanorum aduersus Gallicas ecclesias studio, vt exteros exteris opponeret, ab Andelotto fratre postulauit, vt ad illos Principes proficisceretur, atque ab ijs auxi-

lium imploraret: qui tribus post mensibus, equitum tria, peditum sex millia in Galliam adduxit. Inter hæc negotia nuntiatur Amirallio deduci ad Guisium, qui tum Biturigã obsidebat, aliquot tormenta muralia, simulque pulueris magnã copiam, quo ad illius vrbis oppugnationẽ vteretur. His præfectũ Thonnium Lotharingum, haud ignarũ belli, præsidióque illi sex equitum turmas, & insuper cohortes aliquot attributas. Qua re Amirallius cognita præclari facinoris ansam nactus, paucis equitibus comitatus, eò magnis itineribus contendit. Hostes vix primum impetum sustinuerunt: magnáque eorum pars abiectis armis in fugam sese dare instituit. pedites iumenta è carris soluũt: tormenta, carrósque puluere onustos relinquunt, ceterósque fugiẽtes insequuntur. Thonnius pugnans capitur. Amirallius tanta præda potitus, quemadmodum eam abduceret, iumẽtis omnibus destitutus, animo agitabat. Itaque necessariũ consilium capit, tormenta puluere præter modũ onerata, immisso igne corrumpere. quod vbi non successit, arcas puluere refertas, simul tormenta & carros omnes, vnum in locũ aceruatim cogit: ignéque in pulue-

rem immiſſo, fragore magno aerē complet, & quæ poteſt incendio corrumpit. Reuerſo ex Germania Andelotto, tribus equitum, ſex peditum millibus ſecum adductis, Condæus non inualido exercitu Gallorū & Germanorum conflato, ad vrbem Lutetiā proficiſcitur. Guiſiani ſuas copias, in his Heluetiorum agmen, quo maximè confidebant, eduxerunt: noſtríſque ad opidum vetus, quod Druydum domicilium fuiſſe conſtat, propinquant, ibíque prælium committitur. cuius incertus atque anceps euētus fuit. Nā ex Guiſianorum parte Comeſtabulus captus eſt: ex altera, Condæus: qui (vt ſuperius demonſtratum eſt) ſummam imperij tenebat. Hoc accepto incōmodo cùm acies inclinare cœpiſſet, peditéſque cōplures abiectis armis partim conciſi iacerent, partim ſeſe aduerſarijs dediſſet, Amiralius, equitatu in ſyluam proximam coacto, cohortatus omnes, ne maiorem vitæ, quàm religionis, patriæ & dignitatis rationem ducerent, prælium redintegrauit: inibíque vnus è Franciæ Mareſchallis Santandræus, homo ſummæ in Aula potētiæ, & Broſſæus Guiſij præfectus, aliíque nobiles complures interfecti ſunt. Comeſtabulus ad quem ſumma
belli

belli adminiſtrandi delata erat, cuiuſque ampliſſima erat auctoritas, à Guillelmo Stuardo Veſinio, forti viro captus, cùm à plurimis militibus ad necē quæreretur, tamen propter cognationem Amirallij, & Condæi periculum ſeruatus ab eodem, atque incolumis ad vrbem Aureliam perductus eſt. Rebus ita exulceratis, & pace iam planè deſperata, cùm Guiſius caſtra prope Aureliam admouiſſet, eámque vna ex parte grauiſſimè oppugnaret: Amirallius, Andelotto fratre ad vrbis præſidium relicto, in Nortmániam profectus, Cadomi oppidi arcem obſidere cœpit, in quam ſe paucis illis diebus, Marchio Elbeuius, vnus è Guiſij fratrib. receperat: qui vrbe capta, de cōpoſitione agere cœpit, arcémque & arma omnia in Amirallij poteſtatē tradidit. Erat per id tempus in Guiſij caſtris adoleſcens Ioannes Poltrotus Meræus, nobili familia natus. Hic cùm & religionem amplexus & multos menſeis in Condianorū partibus verſatus eſſet, Lugduni repentè conſilium cepit, interficiendi Guiſij, quem vt certiſſimum patriæ paricidam, & tantarum calamitatum auctorem, crebrò in familiaribus colloquijs precibus omnibus deteſtabatur. Itaque cùm identi-

dem illud in ore haberet, Dolus an virtus, quis in hoste requirat? pro perfuga in illius castra proficisci statuit: reíque gerendæ occasionem, quibus posset modis, captare. Nã si quo (inquibat) vel clientelæ, vel beneficij genere, vel vllo iureiurando illi obstrictus essem, nulla conditione perfidiæ infamiam subirem. Verùm cùm illi nulla fide sim obstrictus, quídni Scæuolæ virtutem in consilio de Porsena rege interficiendo imitarer? Hac mente Poltrotus, aliquandiu in Guisij castris versatus, oblata occasione, dextrum ipsius humerũ glãde plũbea transfodit: quo vulnere paucis pòst diebus Guisius interiit. neque illo mortuo, quidquã moræ fuit quin pax continuò coagmentaretur. Edictóque renouato libertas colendæ religionis certis conditionibus per vniuersam Galliam permissa est. Ex quo ratiocinari plerique omnes cœperunt, vt Helenam Troianis, sic Guisium Gallis tãtorum malorum caussam præbuisse. quippe, cùm illo sublato, bellum tam repentè oppressum, extinctumque esset. At paucis intermissis mensibus, cùm Amirallius accitu Regis in Aulã profectus esset, nouum illi muliebre bellũ illatum est. nam Guisij vidua suppliciter ad Regis pe-

des aduoluta, cædis illius vltionem multis cum lachrymis poſtulauit, cuius auctorem ac machinatorem Amirallium eſſe affirmabat. quòd cùm Amirallius animaduertiſſet, & ſuperioris cuiuſdam impulſu eam agi fabulam intellexiſſet, vt qui armis vinci non potuerat, rabulariis artibus caperetur, primùm Regi & ipſius matri, vniuerſóque concilio demonſtrauit, cædis illius auctorē Poltrotum iampridem accuſatum, ſuppliciόque affectum fuiſſe. iure, an iniuria, non illud eſſe diſputādi tempus. vtcumque ſe res haberet, ſi crimen illud fuerat, acerbiſſimo Poltroti cruciatu ſatis ſupérque expiātum fuiſſe: nam viuus quadrigis Lutetiæ diſtractus fuerat. Præterea non modò confitētem eos reum, verumetiam profitentem & gloriantem habuiſſe, confirmantémque ſibi eā mentem diuinitus iniectam: neque dubitare, quin & gratum Deo obſequium, & patriæ ſummum ac ſalutare officium præſtitiſſet, qui tyrannum, ſemper furentem, ſemper bacchantem, ſemper Chriſtiani ſanguinis ſitientem, de medio ſuſtuliſſet. ſi quid Poltrotus in vinculis, & publica cuſtodia impunitatis ſpe propoſita, & blanditiis illectus aduerſus ſe pronuntiaſſe diceretur, cō-

ſeruandum eum fuiſſe: quemadmodũ ipſe, dum Poltrotus viueret, publicáque cuſtodia teneretur, multis literis ac denunciationibus flagitarat: vt bello confecto, legitimo iudiciorum more, coram ipſo interrogaretur. nunc mortui hominis, neque teſtimonium, neque indicium cuiuſquam momenti in rei capitalis iudicio eſſe oportere: præſertim aduerſus eũ, qui tantam in Regno dignitatẽ obtineret. Præterea, ſi maximè vel ipſe, vel quiuis alius è ſuo exercitu, Poltrotum ad illud conſilium impuliſſet: tamen ecquid criminis videretur, ſi quid hoſtis aduerſus hoſtem hoſtiliter egiſſet? num vllæ tum induciæ fuiſſent, aut vlla vel pactione vel iureiurando obſtrictus illi Amirallius fuiſſet? Cur Duces in caſtris ſuis corporis ſtipatores haberent? Denique, vt hæc omnia non eſſent, tamen pacem non modò inter vtriuſque partis milites, ſed multò magis inter ipſos Duces, & rei militaris præfectos, bono publico reconciliatam fuiſſe. à quo bono publico & ciuili concordia, nouum iſtud querimoniarum genus abhorreret. Quòd ſi quæſtionem de illa cæde decerni poſtularet, ſe quoque viciſſim à Rege poſtulare, vt ſibi aduerſus ipſos inſtituendæ

accusationis potestas fieret. neque enim magno negotio planum fieri posse, Guisium, & crudelitatem nefariā in Regis subiectos exercuisse, & sacrosancta omnia Regni decreta Regis edicto cōfirmata violasse, & armis priuato consilio capiendis, perduellionis crimen admisisse, statúmque regni conuellisse: omnia denique & humana & diuina iura permiscuisse, facémque tantorū incēdiorū fuisse, quibus Gallia mēses circiter XIII. exarserat. Hac Amirallij oratione audita, eadémque tamē actione aliquoties insequentibus annis à Guisiis renouata, tandem Rex ad vrbem Molinium, principes ac primores regni & amplissimos quosque senatores & cōsiliarios suos euocat. Cardinalem Lotharingum, adiuncta sibi fratris vidua, verba pro ea parte facere iubet. simul Amirallio, siquid vellet, ad ea respōdēdi potestatem facit. Caussa vtrinque perorata, tū Rex de cōsilij sententia quærit ab iis, ecquē ex eo consilio reiiciendum ac sibi iniquum putarent. Omnes sibi probari responderūt. Tum iterū quæsiuit, an sibi ius de ea criminatione dici postularent, an re iudicata se staturos promitterēt. Paucis interiectis diebus, cùm se vtraque pars Regis sententia li-

bentissimo animo staturã respondisset, die Ianuarij XXIX. anno M.D.LXVI., sententia ita pronuntiata est (illam enim ad verbũ expressimus) Rex vtraque parte audita, causâque in cõsilio cognita, sententiisque Principum & consiliariorum suorum dictis, quæ omnes inter se sine vlla cuiusquam varietate consentaneæ congruentésque fuerunt, pronunciat Amirallium Castellonium homicidij Ducis Guisij expertem atque innocentem videri: eúmque hoc nomine iudicio absoluit. Simul procuratori suo generali perpetuum eo nomine silentium imponit, aliisque omnibus ad quos eiusmodi negotia pertinent. Vetat præterea ne quis aut ex iis qui aduersarij in hac causa fuerãt, aut vllus alius è suis subiectis vllũ verbum hac de re vnquam facere audeat: ne quis ex iis qui in suo regno iuri dicundo præsunt, lege apud se eo nomine agi patiatur. Vtranque partem in suam se fidem & tutelam recepisse pronunciat: iubétque vt posthac placidè atque amicè sub imperio suo degant: neque quidquam alij in alios moliantur. Si quis vel ex iis qui in hac causa aduersarij fuerunt, vel ex ipsorum cognatis, propinquis, necessariis, amicis, aduersus hoc

decre-

decretum fecerit, eum contra Regiam maiestatem facturum, & perduellionis reũ futurum: quippe publicæ pacis ac tranquillitatis violatorẽ. ob hasce res placere, vt hæc sentẽtia in omnibus Regni Parlamẽtis promulgetur. Sed iam ad superioris anni consilia redeundum est. Non ita multis pòst mensibus accidit quiddam, quod, cùm lenissimi ac mitissimi ingenij testimonio esse possit, minimè prætereundum videtur. Habuerat Amirallius per annos aliquot in domesticorũ ac familiarium suorũ numero, Hamberuillerium quendam, nobili familia natũ: cuius opera in obeũdis honestissimis quibusque negotiis vtebatur. eius literæ quædam in Aula interceptæ sunt, quibus scribebat ad eos, quos nihil attinet in præsentia nominari, se propediem mandatum sibi negotium confecturum: atque Amirallio soporiferam potionem præbiturum. Cùm illæ Amiralio redditæ literæ fuissent, hominẽ ad se accersit, iubet eũ aliquot versus in charta ibi parata sua manu exarare. Comparatione vtriusque scripturæ facta, quærit ex eo, ecquid suam manum in illis literis agnoscat; quibus recognitis conscientia & facinore conuictus, confestim in terram procumbit:

Heríque miſericordiam implorat. Tum Amirallius ei ſeſe ignoſcere pronũciauit: ſed ea lege, vt quamprimum ex ipſius familia excederet, neque vnquam in ſuum conſpectum veniret. Deinceps ad aulica ſuperioris anni conſilia redeundum eſt. Nã aliquot poſt pacem promulgatam menſibus, Regina mater conſilium cepit, Baionam ad generum ſuum, Hiſpanum Regem proficiſci, ſecúmque ſuos filios deducere: ea mente, quæ paucis, per id tempus, cognita, poſtea tragicis rerum euẽtis patefacta eſt. Primùm igitur iter Lugdunum inſtituit, quod vſque ad illud tempus propter religioſorum ciuiũ atque incolarum multitudinem, illorũ poteſtate tenebatur. quò ſimulatque peruenit, Italis architectis fabríſque vndecunque adhibitis, arcem, quam vulgò Citadellam vocant, in propinquo colle celeriter exſtrui imperauit, quæ ſubiecto opido immineret. Cœperat paulò antè ſæuiſsima graſſari peſtis, iámque ad Aulicos peruaſerat: neque tamen prius animum inducere Regina potuit, ſuos inde liberos abducere, quàm iacta illius arcis fundamẽta videret. Vbi peſtem in regiam ipſam peruaſiſſe ſenſit, Lugduno præfectum impoſuit Loſſium, hominem fe-

rum

rum ac barbarum, hostémque religionis infestissimum, eique aliquot militum insolentium præsidium attribuit: qui ciues religioni addictos, assiduis iniuriis contumeliisque vexarent. Pòst quacumque Rex iter tanto comitatu fecit, quamcumque per vrbem, pagum, vicum, castellum deductus est, mirabile dictu est, sed tamen notum & omniũ sermone peruulgatum, tanta comitatum illum regium pestilentia insectata est, vt Rex per tres menses nunquam, nisi præsenti periculo coactus, & tanquam vi domo eiectus excederet. Dum hæc geruntur, & Regina mater Baionæ cum filia, Hispanorum Regis coniuge, & eiusdem Regis legatis consilia communicat, Mareschallus Monmorancius, (quem Rex vrbi Lutetiæ cum summo imperio præfecerat) certior factus est, Guisios clandestina consilia iniisse de plebe Parisiensi aduersus eos qui Lutetiæ veram & castam religionem colebant, concitanda: eodem Lotharingum Cardinalem propediem cum magno armatorum comitatu affuturum. Fuerat iam aliquoties edictis regijs interdictum, ne cui cum arcibusijs, néve cum pistulis esse, iterve facere, liceret. Vbi Monmoran-

cio nuntiatum eſt, Cardinalem, eiuſque comites his telis armatos in vrbē introijſſe, confeſtim præſidio ſuo comitatus illi obuiam procedit: atque arma & tela deponere imperat. Quam ſibi grauiſſimam impoſitam contumeliam Cardinalis & eius fratris filius Guiſius adoleſcens, interpretati ſunt. ac frequenter ex ijs auditum eſt, cùm dicerent, facinus illud Monmorancio vita conſtaturum. Hoc tumultu in vrbe excitato, vbi L X. armatorum millia vno die Cardinalis in Monmorancij necem commouere potuit, viſum eſt Monmorancio amicos ad ſe ſuos euocare, in primíſque Amirallium: qui equitibus circiter C C C. comitatus, die Ianuarii XXII. Lutetiam acceſſit. quæ res cum infirmam plebem ſuperſtitionibus mirificè deditam, tum verò ſacerdotes, monachos, ac præſertim maioris templi canonicos ita perterruit, vt non pauci ex eorum numero de fuga cogitarent. Poſtridie Monmorancius Parlamenti prætores & qui tum in vrbe ſummæ dignitatis videbantur, domum ad ſe accerſit. Ad eos, adhibito Amirallio, verba facit de Lotharingi Cardinalis auda-

cia, & factiosis consiliis, simulque de quorundam ciuium coitionibus, qui cùm rumores passim dissipassent, quasi Amirallius manus cogeret, & Rege in longinquis oris absente, diripiendæ opulentissimæ vrbis consilia caperet: optimum factu sibi visum esse, eum euocare, vt quid sui animi esset, liberè apud ipsos eloqueretur. Tum Amirallius: Iampridē (inquit) mihi comperta sunt quæ hîc de me ab iniquis & maleuolis spargūtur. quasi occupandæ huius vrbis consilium ceperim, quam huius Regni arcem & clarissimum Galliæ lumen esse constat. Verùm hæc consilia ijs consentanea sunt, qui sibi nescio quid iuris in eius Regni successione vindicant, & Ducatus ac Comitatus quosdam sibi restitui oportere contendunt. Ego certè neque in Regnum, neque in vllam eius partem quidquam mihi iuris arrogo. Quod si facerem, nulli puto his quingentis annis è nobilitate Gallica tantā rei cōturbandæ facultatem oblatā fuisse. Memoria tenetis, interfecto Duce Guisio, dū Comestabulus Aureliæ in mea potestate esset, quantā rei gerendæ occasio-

nem habuerim, si tumultuandi animus fuisset. at nullo vnquam tempore vehementius Reginam matrem & Regios senatores, pacem poposci, quàm cùm florētissimæ res nostræ videbātur. quis ignorat, eo tempore pacē à me summis precibus summáque cōtētione efflagitatam, cùm vrbes quamplurimæ & nobilissimæ sese iam pridē in meā fidē dedissent, & complures aliæ tum Nortmanniæ, tum Armoricæ ciuitates suā mihi amicitiam & societatē vltrò deferrent? quis nescit, me cùm post pacē impetratam ambitioni & petendis ab Rege imperiis atque honoribus seruire potuissem, tamē maluisse domum me recipere: ibíque ad hoc vsque tempus modestè & placidè priuatam vitam agitare? Verùm his omissis, vt quod instat agamus, euocatus à Mareschallo Mōmorancio, properaui huc ad vos venire: nō quidquam nouandi aut conturbandi studio, sed potius ea incendia exstinguendi, quæ nuper quorundā audacia propemodum excitata sunt. Neminem vestrum ignorare arbitror, quantum ij qui puriorem religionē profitētur, fidei mihi tribuāt, complures ex ijs, nouis istis rumoribus permoti & Guisio-

rum

rum conſiliis & factionibus perterriti, quotidie ad me ventitant. afferunt interceptas litteras de centurionum quorundã coitionibus, qui veteres ſuos milites paratos eſſe in armis iubent, vt cùm vſus venerit, primò quoque tempore præſtò ſint. Quid verbis opus eſt? Interceptæ ſunt litteræ in Nortmaniã ſcriptæ, quarum ipſa auctoritas ad Reginam matrẽ perlata eſt. earũ ego hîc è meis loculis exemplum vobis edo: atque vnum caput recito. Nulla commodior facultas eſt reſtituendi Coronam Galliæ ijs, quibus antiquo iure debetur, deleta Valeſiorum gente ac ſtirpe, quàm ſi Hugnotti, qui eam tuentur, ad vnum omnes trucidentur. Itaque ſiluæ illorum proſcribendæ ſunt, vt ex pretio redacto, arma nobis & pecuniam comparare liceat. Quod ſi Hugnotti litigent, certè re iudicata, de litis expenſis controuerſiam non mouebunt. Iam verò, quid cædes & latrocinia propè quotidiana commemorem? Satis conſtat, poſt pacem promulgatam, amplius quingentos è Religioſorum numero, varijs locis interfectos fuiſſe. quorum tamen ne vnius quidem cædes à magiſtratibus vindicata eſt. Qui ea de re apud Regem & Reginam

matrem queruntur, verba aut inane aliquod chartæ folium, aut membranæ pellem auferunt. Quis nescit, nuper in Turonum ciuitate palàm, atque adeo sub vexillo & signis militaribus, etiam eo quem Dux Monpenserius pacis constituendæ caussa miserat, inspectante, magnam Religiosorum cædem factam fuisse? Quæ cùm ita sint, tamen nonnullos è sacerdotibus vestris esse aiunt, qui tanto propter meum hanc in vrbem aduentum terrore affecti sunt, vt de vrbe relinquenda consilium capiant. Atqui nullus cuncta Gallia locus est, nullum opidum tam munitum, arx nulla, castellum nullum, vbi sacerdotes tutius & securius agitent, vbi suas ceremonias ac missificationes exerceant, quàm apud me in opido meo Castellonio. Huiusmodi habita oratione conuentus dimittitur. Postridie ad Monmorancium venerunt delecti è Parisiensium mercatorum numero circiter triginta. pôst etiam Episcopus Parisiorum vnà cum rectore Academiæ, & quàmplurimi è sacerdotum ordine eodem accesserunt. quos benignissimè Amirallius allocutus, omnes bono animo esse iussit.

Inse-

Insequentibus etiam diebus in Curiam Parlamenti introductus, multis verbis confirmauit, nihil sibi optabilius esse concordia ciuium, & ocio: neque alio animo se hanc ad illos profectionem suscepisse. Darent ipsi vicissim operam, vt ciuitas sedatè & placidè contineretur. His constitutis rebus, Amirallius domum reuersus, certior ab amicis factus est, Maium quendam, hominem tenuem, qui non procul ab arce Castellonica villam habebat, hospitibusque mercede excipiendis, latrocinia exercebat, precio ab Aumallio Guisii fratre conductum, insidias sibi com parare: si quo fortè venatum exiret. ac iam eo nomine centum illi scutatos aureos adnumeratos, simúlque generosissimum equum dono datum fuisse. Eò accedebat, quòd Amiralius de latrociniis illius sæpius admonitus, persæpè interminatus fuerat, si diutius de iis rebus audiret, se nomen illius inter sicarios delaturum: paucisque antè dieb. testes nactus idoneos reũ illũ de latrociniis complurib. apud Senatũ Parisiẽsem fecerat. Cognitis Maii insidiis atque Amirallio nũtiatis, insidiatori cõtrà paratæ insidiæ sunt: paucisq; pòst diebus

cõprehenſus Maius Lutetiam in iudicium eductus, criminari Amirallium, aliósque nonnullos cœpit, quaſi ſecum de Regina matre interficienda egiſſent, magnúmque ſibi eius facinoris nomine præmium propoſuiſſent. ſed à Pariſienſis Parlamenti ſenatoribus cognita calumnia, & quæſtione de latronicijs conſtituta, damnatus, & Lutetiæ in platea celeberrima Rotæ ſupplicio affectus eſt.

Non ita multò pòſt, cùm Principi Condæo natus eſſet filius, Rex ei de more nomen imponere ſtatuit. ſed cùm id per religionem ſatis commodè fieri non poſſet, Amirallio deferri honorem illum voluit: eíque mandauit, vt ſuo nomine infantem baptiſandum & ſacris initiandum curaret. Quæ res maxima pompa (vt in Principum aulis fieri ſolet) & Regali apparatu peracta eſt. Nam in conuiuio menſa Regio more Amirallio ſtrata eſt, ad quam ſolus, Regis inſtar, conſedit: miniſtríque illi epularum, tanquam proregi, adhibiti: quod ſingularis in illum Regis beneuolentiæ argumentum omnes interpretabantur. Non ita multò pòſt nuntius

allatus

allatus est, Ferdinandum Ducem Albanū, exercitum Hispani Regis nomine ac mandatu, in inferiorem Germaniam deducere, ad eos motus comprimēdos, qui propter Religionis studia & partes excitati fuerant. Cùm propè à Galliæ finibus copias illas traducturus esset, Amirallius in consilio Regis postulare cœpit, vt Burgundiæ prouideretur: ac ne quid fortè, propter Religionis studium, tumultus exoriretur, copiæ ex Heluetiis potius quàm ex Gallis præsidio ei prouinciæ collocarentur. neque alia tū in vulgus opinio fuit, quàm illum Heluetiorum exercitum qui sex hominum millibus constabat, Albani copiis opponi, siquid fortè in Burgundiæ finibus tētaret. Verùm aliquot interiectis diebus, Princeps Rupisurio, Regio prognatus sanguine, per literas ab Amirallio petiit, vt aliquem è suis, cui maximè confideret, ad se arcanò mitteret: per quem ea nunciare posset, quæ ad ipsius salutē magnopere pertinerēt, neque in vulgus efferēda essent. paucísque pòst diebus, ipse Rupisurio, qui Condæo Principi propter eā propinquitatem Regiam amicus erat, secretò enuntiat, consilium Baionæ captum fuisse, de religione, quam Reformatā appellabat

funditus delenda,& iis,qui eam profeſſi fue
rant,opprimendis. Ad eam rem,illas Helue
tiorum copias conduci, per ſpeciem præſi-
diorum in Galliæ finibus aduerſus copias
Ducis Albani, opponendorum: eodémque
tempore Amirallius multorum & literis &
nunciis certior factus eſt, Heluetiorum co-
pias in Galliæ fines,atque intimam Burgũ-
diæ partẽ adduci. Qua re cognita primùm
Princeps Condæus,aliquãto pòſt ipſe quo-
que Amirallius ad Regiã profecti ſunt: Re-
gíque & ipſius matri atque conſiliariis de-
monſtrat, nullam ſe videre cauſſam ido-
neam iſtas Heluetiorum copias in Regnum
inducendi:niſi fortè ad ſeſe & tot honeſtiſ-
ſimas familias, quæ Religionem colebant,
opprimendas. At maiorem eſſe numerum
eorũ,qui religioni nomen dederant,quàm
vulgò exiſtimaretur.Eius rei periculum ſu-
periore bello factum. ſiquid ab ſuis aduerſa
riis nouarũ rerum moliri intelligant,ſe ſibi
nõ defuturos,neque facilè ſeſeà latronibus
iugulari paſſuros. Rogare atque obteſtari
Maieſtatem Regiam,vt vel tot familiarum
honeſtiſsimarum, vel certè afflictæ patriæ,
ac perditæ plebis Gallicæ miſericordia ca-
peretur. Repudiati in Regia,& cõtumelio-
ſè

ſe accepti, cùm etiam magnum ſe in vitæ diſcrimen adductos intellexiſſent, cõſilium capiũt, neque ſibi, neque tot Eccleſiis Chriſtianis deeſſe, poſtulatu præſertim quamplurimæ nobilitatis, & bonorum ciuium innumerabilium rogatu. qui magiſtratuum iniurias, quibus aſſiduè vexabantur, diutius ſe ferre non poſſe querebantur. His rebus conſtitutis, cùm intelligerent Regium nomen ſummum apud ciuitates pondus habiturũ, Guiſiumque propterea bello ſuperiore operam dediſſe, vt Regem in poteſtate haberet, conſilio cum paucis communicato, occultè ad Regiam profecti ſunt, ſi qua ratione Regem à Guiſianorum & Reginæ matris poteſtate abducere poſſent: vt remotis ab ipſo improbis conſiliariis, publicæ paci atque concordiæ prouiderent. Verùm ab vno è conſciis proditi, eius rei conficiendæ facultatem amiſerũt. qua de cauſſa bellum aperto marte gerere coacti ſunt. Cùm ad vrbem Lutetiam acceſsiſſent, cenſu habito, reperti ſunt in ipſorum partibus, equites paulo minus mille: pedites circiter trecenti. nam pridie eius diei Andelottus magnam copiarum partem ſecum in opidum Poſſiacum adduxerat: vt põte in Sequana flumi-

ne occupato, commeatum Parisiensibus intercluderet. Lutetia exierunt peditum XV. millia, equitũ amplius sex millia, duce Comestabulo: qui cõmisso prælio grauiter vulneratus, paucis pòst diebus interiit. In eo prælio, singularem Dei in Amirallio cõseruãdo prouidentiã animaduertere licuit. nã cùm equo ferociore vteretur, quíque oris propemodum esset indomiti, catenula qua frenum sub inferiore labro retinetur, abrupta, bis per mediam hostium aciem transuectus, nullo tamen vulnere affectus est. sed cùm eum pistularij appeterent, vnius glande ictus equus reduci se in agmẽ facilè passus est. Multis vltro citróque acceptis detrimẽtis, sed præsertim ex Condianorum parte, profligato tamen Regio exercitu, atque in vrbem Lutetiam compulso, commodissimum Condæo & Amirallio visum est, in Lotharingiam proficisci, ad eos equites, qui subsidio ipsis de Germanorũ aliquot Principũ sentẽtia mittebãtur. Nã externos iterũ externis opponere necessariũ videbant. In eo itinere cùm aduersarij magnis eos copiis consectarentur, quibus Henricus Regis frater, Dux tum Andicus, nuper Poloniæ, iam verò Galliæ Rex factus præerat, assiduéque

nouissimum agmen premerent, multis sæpè incommodis afficiebantur. Vbi in Lotharingiam ventum est, quò magnus Germanorum exercitus, duce Casimiro, Palatini Electoris filio, venerat, noua tum perturbationis ac tumultuum materies exorta est. Debebatur enim illis Germanis aliquãti temporis stipẽdium, neque vnde vel perexigua illius pars comparari posset, reperiebatur. Huic incommodo remediũ ex tempore Amirallius reperit. Postulauit, vt tributum in capita imponeretur, quoad cuiusque non modò equitis, aut militis, verumetiam lixæ, aut calonis facultas ferret. Primus ipse Amirallius, ex arca sua quingẽtos aureos adnumerari iussit. Idẽ alij omnes pro se quisque, Quæstorib. per singulas turmas cohortésque dimissis, fecerunt. simul etiam quod apud principem Condæum, Amirallium, Andelottum, Rupifocaldium argenti facti repertum est, totum est in eã rem Quæstoribus attributum. Ita perexiguo tempore, summa omnium voluntate, redactum est libellarum ad millia octoginta: iudicatumque illo Amiralij cõsilio salutem exercitui allatam, cui non modò aduersarij imminebant, verumetiam socij atque auxiliatores

Germani minabantur. Coniunctis Germanorum & Gallorum copiis, repēte aduersarij, conuerso itinere, Lutetiam magnis itineribus contenderunt. quam sibi grauissimam imponi contumeliam Henricus Regis frater iudicabat. Condiani autem alacres, ac pleni spei bonæ ad Carnutum obsidendum profecti sunt. quòd cùm aliquandiu tormentis verberassent, murique partem deiecissent, iámque ad irruptionem faciendam Andelotto duce parati essent: repentè Regis tubicines admissis equis interuenerunt, pacémque factam per suos præcones pronunciauerunt. nam eo nomine legati vtrinque superioribus diebus proximè Lutetiam conuenerant. Ita soluta obsidio, exercitúsque à Cōdianis dimissus est. Dum Amirallius ea obsidione occupatus tenebatur, vxor eius, de qua superius mentio facta est, quæ sese initio belli Aureliani cum liberis receperat, graui confecta morbo, cùm eius vim sustinere non posset, è vita excessit. Ad eam Amirallius, de morbi grauitate certior factus, relictis castris accurrerat: Medicísque quos potuerat adhibitis, beneuoli & fidelis mariti officium præstabat. Cùm vi morbi superatam

Medico-

Medicorum artem Amirallius videret, ſupremúmque ipſius ſpiritum Deo commendaſſet, in conclaue ſe ſubduxit, quò continuò complures conſolandi cauſſa familiares atque amici conuenere: è quibus non pauci hæc tum ab illo magnis ſingultibus & lachrymis pronunciata meminerunt. Quid peccaui, mî Deus, aut quid commerui, quòd me tam acerbè caſtiges, ac tot ærumnis oneres? vtinā ſanctius vitā meam inſtituere, & melius pietatis exemplū præbere poſſem. Reſpiciat me tua miſericordia, ſanctiſſime parens, & has meas acerbitates leniat. Tum amicorum piis ſermonibus erectus, liberos ad ſe adduci iubet. his demonſtrat, tantam hanc matris ipſorum iacturam debere illis documēto eſſe, nihil ſub ſole illis præſidij reſtare, quo confidere aut niti poſſint. domos, arces, quantumuis munitas, ac magnificas nobis non domicilij, ſed diuerſorij cauſſa, non mancipio & nexu traditas, ſed precariò conceſſas eſſe. humana denique omnia fluxa & caduca eſſe, præter vnius Dei clemētiam, cui ſeſe totos abiectis humanis ſubſidiis, traderent: non eſſe dubitandum, quin certiſsimum in ea præſidium haberent. Poſtridie filiorum

suorum præceptorem Grelleum ad se accer sit. demonstrat sibi ad castra redeundum esse. nescire, quid sibi euenturum sit. rogat atque hortatur, vt filios suos curæ habeat, eósque in religione & pietate bonísque omnibus artibus (vti sæpe præceperat) institueret. illius porrò matronæ summum semper (vt superius demonstratum est) erga religionē studium exstiterat: summáque in perferendis & viri & suis calamitatibus constantia. vt verè multi affirmarēt, quàm fidem profitendæ religionis viro suo dederat (quod à nobis superius dictum est) eam sanctissimè ab illa cōseruatam fuisse. Cùm autem aliæ in illa virtutes ac dotes ingenij laudabantur, tum verò in primis singulare quoddam in pauperes, itémque in ægrotos studium ac beneficentia. Itaque cùm assiduè vel morbis affectos, vel saucios milites Aureliā deportatos inuiseret, Medici non dubitarunt, morbum illius magna ex parte ex illo fœtore contractum, conceptúmque fuisse. Pace (vti superius diximus) multis locis per tubicines Regios promulgata, vix triduum Amirallius domi commoratus est, quin, omnibus ex partibus, & litteris amicorum & nunciis certior fieret, non pacem illam, sed

reinte-

redintegrandi teterrimi belli consiliũ fuisſe. Tantos enim locis omnibus belli apparatus animaduerti, vt niſi maturè prouideat, propediem & Cõdæus,& ipſe,& reliqui bellorum ſuperiorum duces circumuenti, aduerſariorum crudelitati dederentur. Eius rei argumento eſſe præſidia Aureliam, Altiſſiodorum, Bleſas, ceteráſque in vrbes deditas, introducta: pontes, pontones, traiectúſque omnes occupatos, retentum in intima Gallia equitatum, legiones duas ad ſpeciem Regij præſidij prope Lutetiam retentas. Quibus compertis rebus, cautius ad ſuã ſalutem fore iudicauit, ſeſe in Tanlianã villã ad fratrẽ Andellottum recipere: paulò etiam pòſt, Nuceriam, quod erat opidulum ſatis munitum, in Principis Condæi ditione: quò ſe ipſe paulò ante cum coniuge & familia propter eandem cauſam receperat. In eo itinere accidit, quòd propter rei nouitatem prætermittendum non videtur. Eſt ſtagnum haud procul ab opidulo Molinio quà iter eſt Altiſſiodurom. Cùm ad illud Amirallius acceſſiſſet, ſenex quidam ex ipſius comitibus, nomine Gripperius, multarum & longinquarum nauigationum pe-

ritus, ceteroqui fide in Amirallium, ac studio singulari, nubem atram animaduertit, vi ventorum impulsam, vehementius in eam partem ferri: simulque Amirallium multis audientibus monere cœpit, vt equũ incitaret, & ad vicinum pagum properaret, ne aduentu propinquæ tempestatis opprimerentur. Vnum eloquutus, fidem sibi habitam, ceterósque subsequi existimans, ante omnes præcurrit. Vix è conspectu abierat, cùm tanta repentè tempestas, dũ Amirallius angustos stagni aggeres præteruehéretur, exorta est, vt multi turbine non modò equites, verumetiam equi deijcerentur: plerique vi ac pondere grandinis vulnerati, ac tantùm non oppressi fuerint. Amirallio ventus pileum auulsit: qui sedata tempestate nunquam reperiri potuit: sed alterum ei vnus è comitibus tradidit: neque vlla in parte nisi ad commissuram tali, vehementiori grandinis ictu, leui plaga affectus est. Quòd si in eam partem qua stagnum erat, vis venti increbuisset, nemini dubium fuit, quin is postremus & Amirallii & comitum omniũ vitæ dies fuisset. Sedata tempestate Amirallius suos conso-

consolatus, Grates tibi, inquit, ago Deus omnipotens, cuius hoc portentum esse iudico, futurũ breui, vt multis ærumnis premamur, sed non opprimamur. Vbi ad Nuceriam ventum est, crebri ad Regem nuncij ab iis cum litteris missi sunt, certiores se quotidie fieri de insidiis, quæ vitæ suæ pararentur. suppliciter ab ipsius Maiestate petere, vt patriam duobus iam ciuilibus bellis fatigatam respiceret, néve excitatum à Guisianis incendium, Regni ruina, sed salute potius & sapientia sua restingueret. simulque Amirallius ad Margaretam, Regis Francisci Magni filiam, Duci Sabaudiæ nuptam, cuius auctoritatem magnũ apud Reginam matrem pondus habituram sperabat, litteras misit, eámque precibus omnibus obtestatus est, vt aduentantem illam tempestatem, pro sua auctoritate, ab afflictæ & euersæ patriæ fatali casu auerteret. Vbi nullum pacatis remediis relictum locum animaduertit, certiórque factus est, Tauannium, qui paulò post Regni Mareschallus factus est, occultè copias suas ad Nuceriam adducere, conaríque illos circũsistere, Principi Condæo consilium dedit, vt

ſeſe illinc ſubduceret, Rupellámque quammaximis poſſent itineribus cõtenderet: quæ propter antiqua quædam iura & priuilegia nullũ vſque ad illud tempus præſidiarium militem admiſerat. Erat in itinere Liger flumen tranſeundum: cùm in comitatu Cõdæi Principis vxor eſſet, vnáque ſex ipſius paruuli liberi: in his vnus anniculus. Hos poſtridiè ſecuti ſunt Amirallij & Andelotti paruuli liberi, quos nutritij nocte intempeſta Amirallij mandatu eduxerunt, Ligerique tranſmiſſo in Biturigum fines ad comitatũ perduxerunt. Ac mira tum res accidit, cuius etiam nunc innumeri teſtes ac ſpectatores ſuperſunt. Cùm ſperaret Condæus duabus ſe tribúſve nauiculis ſubitò è ripa occupatis occultè tranſiturum, vbi ad flumen acceſsit, quo Sancerrani collis radices alluuntur, vadum repertum eſt, qua equites circiter quinquaginta qui eum comitabantur, traducti ſunt. At matresfa. & pueri, totúmque gynæceum, nauiculis traſuectum eſt. Vix traducti omnes erant, cùm repentè ſereniſſima die circiter trium horarum ſpatio ita flumen excreuit, vt Sancerrani, reliquique omnes eius viciniatis incolæ

incolæ miram Dei prouidentiam agnoſcerent, boniſque omnibus patuulos illos pueros, & vagiētes in cunis infantes proſequerentur. His cognitis rebus, Rex Aulicorum ſuorum conſilio repentè cataphractos omnes ſuos equites, præſertim qui in Santonum & Pictonum finibus erant, ad Rupellam proficiſci iuſſit: fratrémque ſuum Henricum, de quo ſuprà mentionem fecimus, qui eodem quantaſcunque copias poſſet, deduceret, miſit. Religioſi interea, qui ſe ſuam quiſque in ciuitatem, pace facta & fide Regia freti receperant, oppreſſi à multitudine, ac paſſim trucidati ſunt. Dum hæc geruntur, Ioanna Nauarrorum Regina, quæ ſuperioribus ſe bellis domi continuerat, tam nefariam, ac toties renouatam perfidiam deteſtata, copiis quas potuit, celeriter comparatis Rupellam profecta eſt: ſecúmque filium ſuum Henricum, ad quem poſtea ipſius morte, Regni hereditas rediit, vnámque filiam deduxit. Superioribus rebus, vti iam dictum eſt, conſtitutis, eductíſque Rupella tormentis, Amirallius opidum Niortum oppugnare inſtituit: neque multis intermiſſis diebus,

illud deditione accepit. Mox ad Engolismum copias adduxit. Hoc opidum situm est in colle summo, omnibus præter vnam, partibus circumciso:quò magnum superioribus diebus præsidium ab aduersariis deductum fuerat. Amirallius qua ex parte aditus patebat, eò adigi tormenta iussit: cúmque dies aliquammultos illud oppugnasset, opidanorum deditione illo est potitus. Aliquãtò pòst ad opidum Iasenullium prælium inter primas vtriusque exercitus acies commissum est. Nostræ præerat Amirallius:qui tanta vi in aduersarios perrupit, vt cùm illius impetum sustinere non possent, fuga salutem quærerent, seséque Lusinianũ versus reciperent: impedimentáque omnia desererent. Præda amplius quinquaginta aureorum millibus æstimata est. postridiè scribæ Regij, cui Fizio nomen est, literæ ad Reginam matrem scriptæ, Interceptæ sunt, quibus illam cladem deplorabat: addebat etiam, nunquam post homines natos vllum Franciæ filium (popularis illa locutio est) tantum vitæ discrimen adiisse. Non ita multò pòst Amirallius Iarnacum (quod vicinum opidum est) profectus, in extremã dimicationem adductus est: neque quidquam

quam propius fuit, quàm vt in aduersariorum potestatem veniret. Nam cùm exploratores cognouissent, eum consilium cepisse, iunctis nauiculis amnem haud admodum latum, qui opidum alluit, transire, clanculum in altera ripa subsederunt: animaduersóque Amirallio repentè arcibusarij iaculari in eum cœperunt: alij etiam per pontem irrumpere contenderunt. Fortè tum ibi fuit arcibusarius vnicus, qui sæpius iaculando impetum prohibuit: sed crebris glandibus appetitus ac transfixus concidit. Eius in locum alij clamore illius excitati circiter XII. succurrerunt. Amirallius ipse districto gladio (nam loricæ induendæ spatiũ nõ habuit) ad ripam profectus, funes, quibus deligatæ nauiculæ fuerãt, præcidit: quo spacio aduersarij qui ripã alteram obtinebant, nunquã in eũ iaculari destiterunt: qua de caussa ille ex hac die sui corporis stipatores, ad huiusmodi repentinos casus, habere instituit. Duobus interiectis diebus, cũ aduersarij Charentum flumen traiecissent, Princeps Cõdæus veritus ne ab iis circũsisteretur, etsi tria se illis Germanorũ equitũ millia, paulò antè, Heluetiorũ autẽ sex millia, de principio belli cõiunxerãt: tamẽ vt ma-

gno in præliis ac forti animo erat, transitũ il lorũ intercludere statuit: neque tamẽ iusto prælio rẽ cõmittere. Inter ea negotia nunciatũ est Amirallio eos qui pridie sub noctẽ pagũ hostibus proximũ occuparant, circũuentos atque in extremũ discrimẽ adductos, sese tamen fortiter defendere. His deesse Amirallius noluit, celeritérque aliquot coactis equitibus ad eos ire contendit. Quẽ vbi hostes agnouerunt, repente orbe facto magna vi circunsteterunt. qua re Condæus cognita, haud paulo ab animo, quàm viribus paratior, mediã aduersariorũ aciem perrumpit, ibíque multitudine oppressus, cõfosso equo, deiectus, atque interfectus est. Tanto incommodo, neque minore solicitudine affectus Amirallius, summæ rei diffidens, in oppidum Saniandãgelicum, cum Andeloto fratre se recepit. Et cùm acceptã in Condæi corpore cõtumeliam, in quamplurimis potentissimorum & nobilissimorũ hostium corporibus vlcisci, parémque pro tanta indignitate gratiam referre posset: naturæ tamen atque humanitatis iura sibi retinenda, iustáque defunctis persoluẽda statuit, in eóque quandiu bellum productum est, perseuerauit. Erat tum (vt superius demõstrarum

est)

est) Ioanna Nauarrorum Regina Rupellæ, quæ nuncio de tanta clade accepto, celeriter in castra contendit: primósque totius exercitus consolata, milités que ne pristinæ virtutis obliuiscerentur, cohortata, filium se suum vnicum Henricum (ad quem ipsius morte Regni hereditas rediit) iis se Imperatorem donare ac tradere pronuntiauit: aperté que testata est, non sibi vnici sui filij vitam, quàm totius exercitus salutem cariorem esse. Huic in tanti honoris societatem Henricus Princeps Condæus Ludouici F. adiunctus est. Verùm omnis belli administrandi curam, reíque militaris laborem principes, turmarum duces, ac centuriones omnes vno consensu Amirallio mãdarunt. quippe, quo neminem amplioris apud Religiosos auctoritatis fuisse constabat. Etenim præter summã rei militaris scientiã, iustitiam, temperantiam, constabat inter omnes, illum primum ex omnibus Regni proceribus religionem amplexum, palámque professum fuisse: primum domesticam disciplinam ad religionis normam emendasse: primũ ausum esse apud Regem Franciscum secundum, qui Guisianorum affinitate implicatus tenebatur, de postulatis

Ecclesiarum referre, supplicémque illarum nomine libellum ad Regium consilium deferre: primum pietatis exemplum nobilitati Gallicæ præbuisse, quam propter flagitiosissimam aulæ Regiæ consuetudinem perditissimis moribus fuisse cõstabat. Præterea postquam religionem semel amplexus fuerat, nullam in Ecclesiis reformatis vel minimam offensionis caussam præbuisse: cumque ad eum vndique illarum Ecclesiarũ nomine accurreretur, prudentissimũ semper omnibus consilium impertisse. arma non oppugnandi Regis caussa (vt nonnulli loquebantur) sed Reginæ matris rogatu ac precibus cepisse: neque tamen priuato vel suo, vel Reginæ matris consilio id fecisse: cùm Rex annum XII. ætatis nondum expleuisset, sed fretum auctoritate publici concilij Aureliæ, (vt superius dictum est) habiti, pòst etiam edicti Regij, quod mẽsibus aliquot interiectis Lutetiæ summa ordinũ omnium voluntate scriptum ac promulgatum fuerat, Guisianorum contrà impulsu atque consilio factum esse, vt tot honestissimæ familiæ fortunis omnibus euerterentur: florentissimæ ac nobilissi-

mæ ciuitates diriperentur : tot Principes ac proceres, summíque rei militaris Duces ac magistri, summo cum totius Regni detrimento interficerentur: & (quod caput est) tot florentes Ecclesiæ, cunctis ferè in Galliæ opidis opprimerentur: eò denique Galliæ Regnum adductum, vt iam cuiuis extero Principi ad prædam ac direptionem pateret. His peractis rebus, grauis Amirallio casus accidit, fratris Andelotti morte, qui in vrbe Santonum repentino morbo oppressus est: à quo veneni suspicio non abfuit: eo magis quòd Biraguij Procancellarij (qui aliquanto pòst Cancellarius factus est) hominis Insubris, vox in Regia persæpè audita erat, totum istud bellum non per homines armatos, tanto molimento, tantísque iacturis, sed per coquos & culinarios minimo negotio conficiendum esse. Et quoniam proximis illis diebus Amirallius epistolam sua manu ad suos, atque Andelotti filios, qui Rupellæ vno eodémque præceptore vtebantur, consolandi caussa misit: quam ipsius manum, atque chirographum præ manibus iam habeo, non alienum visum est, eã totidem propè conuersam verbis, hunc in

imitandas cohorter, atque acuam. nam mihi quoque ipsi eius exemplum imitandum propono: Deúmque ac dominum nostrum oro atque obtestor, vt mihi æquè piè ac beatè decedere ex hac vita liceat, vt ego illum decedentem vidi. Et quoniam eius desiderio maiorem in modum afficior: peto à vobis, quo moderatius dolorem istum feram, vt ipsius virtutes in vobis elucere, ac reuiuiscere animaduertā. Quod vt assequi possitis, toto pectore in pietatem & religionē incumbite: ac dum in ista ætate estis, otiū vestrum in litterarum studio consumite, quæ vos in viam virtutis inducant. Etsi autem facilè patior, vos iis horis, quas præceptor vobis ad lusiones concedet, à libris abesse: tamen videte, ne quid in lusionibus vestris, aut fiat à vobis, aut pronuntietur, quo Deus offendi possit. In primis præceptorem vestrum colite, eíque non secus ac mihimet ipsi obtemperate. Confido enim illum vobis nullum neque præceptum, neque cōsilium daturum, quod vobis non & honori & emolumento sit futurum. Quod reliquum est; si me amatis, ac potius, si vosmetipsos amatis, date operam, vt semper iucundissimum de vobis nuntium accipiā: & quan-

& quantum annis & corpore, tantum pietate & virtute adolescatis. Deus vobis omnibus benedicat, præsidióque sit, & Spiritu suo sancto vos in perpetuum tueatur. Sactonibus. XVIII Maij MDLXIX.

CASTELLONIVS: Neque verò apud ceteros fortis Amirallij animus in tanto dolore perferẽdo ignotus fuit. nã etsi eiusmodi fratrem amiserat, cui neque pietate, iustitia, virtute, neque rerum gestarum gloria & militari laude parem vllum cognorat, quémque identidem dexterum suum brachiũ appellabat, tamẽ crebris apud amicos suos sermonibus stare se diuina prouidentia pronunciabat. quippe, cùm intelligeret, ac sæpenumerò illud in ore haberet, neque Dei Ecclesiam humanis consiliis, neque hunc Christianum exercitum Ductorum virtute administrari: ac plerumque de fratris morte apud suos commemorans, exclamare solebat; O beatum Andelottum: qui tam piè ac feliciter vitæ cursum exegit. Per id tempus nuntius eidẽ allatus est de VVolphgangi Ducis Bipõtini aduentu in Galliã cum exercitu Germanorũ firmissimo, quẽ nostris auxilio adducebat: deq; Ligeri ab eodẽ exercitu superato, Charitoque expugnato, quod pons in eo

flumine Biturigũ agro coniũgebat. Cùm in Lemouicum fineis ad opidũ Challuciũ Germani copiis omnibus accessissent, Amirallius suas quoq; copias cũ illis coniũgere statuit. quo ipso die VVolphgãgus graui oppressus morbo è vita excessit. statimq; sũma imperij Germanorũ omniũ volũtate VVolrado Comiti Mãsfeldési, qui præfectus ipsius fuerat, delata est. Eã cõiũctionẽ aduersarij maiorẽ in modũ horrebãt: neq; locus in Gallia vllus erat, quò nõ hæc opinio peruasisset, si Germani cum Gallis cõiungi possent, actũ esse de Regio exercitu: & Aulicos suis aduersariis supplices futuros. Palã quoq; tũ in castris, tũ in ciuitã. qui se pacis atq; otij publici cupidos ostẽdebãt, perfidiarũ auctores execrabãtur: ac dictitabãt nullis vnquã seculis nõ exitiales periuriorũ exitus fuisse. Illud inter omnes cõstabat, si Amirallius cõiũctas illas copias rectà in interiorẽ Galliã Lutetiã versus deduxisset, quãplurimas ciuitates de ditione facturas fuisse, seséq; in Amiral. potestatẽ permissuras. Hæc opinio paucis illis dieb. magnoperè cõfirmata est; nam cũ Hẽricus dux Andicus suas copias nõ procul collocasset, signáq; cõtulisset, facilè depulsus, magno peditũ suorũ numero amisso, captóq; qui illis præerat, Strossio, Reg. matris cõsobrino,

pacis cōditionem esse, nihil ab omnibus iis qui secum in armis essent, aliud peti, quàm religionis colendæ potestatē, toties illis & publici Concilij auctoritate, & postea multis edictis Regiis permissam. Extremam hāc Italorum & paucorum qui proximi Regis erant, insaniam fuisse, qui bis centena hominū Religiosorū millia tam paruo negotio tolli ac deleri posse confirmassent. Cuius rei superioris temporis euētus satis documento esse potuisset. Andicus ea quam diximus accepta contumelia, de suorum sententia, magnam exercitus, ac præsertim equitatus sui partē ad vnius aut alterius mēsis tempus dimisit: domúmque corporum reficiendorum caussa reuerti iussit. ac tum in VVolphgangi locum, VVolradus Mansfeldensis Comes, ipsius præfectus, summa omnium voluntate, suffectus est. His constitutis rebus, Amirallius concilium aduocat. placuit omnibus, quoniam ab Rupellæ portu, totáque ora illa maritima ciuitates, agríque omnes Religiosorum potestate tenebantur, eos fineis muniri, Pictauiumque opidum tentari, vt eo propugnaculo tota illa regio tecta, munitáque esset. Huic consilio magnoperè suffra-

gari visa est Lusiniacæ arcis deditio, omnium quæ in Gallia sunt, longè munitissimæ: quæ cùm perpaucorum dierum oppugnationem sustinuisset, deditionem fecerat. quod idem de opido Castellerotio, per idem ferè tempus nuntiatum est. Castris ad Pictauium positis, cœptáque oppugnatione, Amirallius tot vigiliis & laboribus confectus, disenteria correptus est. qua dies triginta sic prostratus est, vt neque operibus superesse, neque consilium ad rem gerendam suppeditare posset. Itaque opidani & commeatu, & recentibus atque integris militibus, qui in dies summittebantur, crebrísque excursionibus recreati, litterísque Regiis ac pollicitationibus identidem confirmati, oppugnationem fortiter sustinebant. Constabat autem inter omnes, nisi Amiralij morbus rem conturbasset, Pictauium in eius potestatem venturum fuisse. Per id tempus, Dominicus Albio, vnus ex Amirallij famulitio, natione Vasco, qui à Regiis captus, in eorum potestate & castris menses aliquot fuerat, ad Herum reuersus, alacritérque in ipsius domum regressus, propter orationis vanitatem, & sermonũ quorumdam

rumdam inconſtantiam, cùm ſibi plerumque non conſtaret, nonnullis in ſuſpicionem venit. Qua de cauſſa comprehenſus & excuſſus, veneni pixidem exhibuit, quam ſibi à Riuerio, Henrici ſatellitum præfecto, & altero quodam eiuſdem Principis ſecretario traditam, confeſſus eſt: promiſſáque ſibi aureorum duo millia, ſi Herum ſuum Amirallium eo veneno interficeret. Qua re cõperta, dãnatus, & deprecãte domino, cùm pleriq; grauiore illũ ſupplicio afficiendũ cenſerẽt, gula fracta, reſte ſuſpenſus eſt. Nõdũ liberatus morbo Amirallius, cùm ei nũciatũ eſſet, opidũ Caſtellerotiũ, quod à caſtris circiter ſeptẽ milliarib. aberat, ab aduerſariis obſideri, copias ſuas eò deduxit, ſeſéq; lectica deportandũ curauit: neq; magno negotio intromiſſis in opidũ militibus, aduerſarios fugauit, cæſo eorũ, ac præſertim Italorũ, magno numero: neq; prius fugientes hoſtes perſequi deſtitit, quàm illi flumen trãſiſſent, quod propter altitudinẽ, populari lĩgua, Creuſa nũcupatur. Interea Guiſius adoleſcẽs, qui Pictauio præfuerat, noctu ex vrbe magno comitatu egreſſus, recẽtes alios atq; integros intromiſit. Neq; ita multo pòſt Hẽricus magni nõ modò Gallorũ, verũetiã

Germanorum, Heluetiorum reparatis copiis, ad Chinonium accedit. Erat Religiosorum copiæ longinqua Pictauij obsidione, commeatus & vini inopia, tempestate denique atque imbribus fatigatæ. accesserat eodem valetudo, quæ peditatum, ac præsertim Germanicum, haud mediocriter tentarat. Plerique autem Santones domum se ad corpora reficienda receperant. multi etiam in Galliam interiorem ad Charitium & Sancerram, quæ Religiosorum potestate tenebantur, sese contulerant. Quibus cognitis rebus, Amirallius cũctandũ ratus, ardẽtes ad dimicandum animos reprimebat. Crebræ tamẽ & militũ & cẽturionũ voces audiebantur, minitantiũ sese domũ reuersuros, sibique consilium capturos. multo quemque commodius in patriæ suæ, quàm in alienis finibus, bellum gesturos, domesticisque rerum omnium copiis vsuros. præsertim cùm in Aquitania, Delphinatu, & ad Ligerim, opida quædam ipsorum potestate tenerentur, quò se recipere, & vnde excursiones facere, atque hostium agros facilè populari possent. Non absimiles audiebantur Germanorum militum sermones: qui cùm menses iam

complures ſtipendio caruiſſent, rem prælio committendam potius, quàm tandiu procul à patria, ſuiſque ſedibus conſiſtendum clamitabant. Neque propius quidquam fuit, quàm vt nobiles aliquot magnæ in primis auctoritatis, relictis caſtris, magnam ſecum copiarum partem abducerent. Conſilio prælij committendi capto, cùm ad Moncorturium vterque exercitus caſtrametendi cauſſa propinquaſſet, qui primæ aduerſariorum aciei præerant in velites noſtros anteçurſores & cohortes aliquot primi agminis, vbi Amirallius cubabat, ex improuiſo impetum faciunt. Amirallius cum armigerum ſuum aliquamdiu quæſitum non inueniret, nihilominus in confertos hoſtes perrumpit. Hunc VVolradus Manſfeldenſis, de quo ſuprà demonſtratum eſt, ſubſequitur: exercitúmque hoſtium loco cedere compellit. Hac interfluebat riuus, quem aduerſarii magna contentione tranſire conabantur: Amirallius arcibuſariis aliquot ſtipatus, primum agmen aliquanto ſpacio antecedit, atque in eius riui ripa conſiſtit: hoſtéſque tranſire conantes prohibet: ibique ad primam veſperam quæ opus videban-

tur curat: cùm interim hostes neque minoribus neque maioribus tormentis eum locum petere desisterent: qui, si eo tempore riuum transire, & in aciem nostram perrumpere potuissent, immane, quantam breui tempore cladem intulissent! nam hostes facilè nostrorũ numerũ tertia exercitus parte superabant. præterea recentes atque integri cum fessis & defatigatis committebantur. itaque bidui tantùm ea mora fuit. nam tertio pòst die commisso prælio multò maxima peditatus pars concisa: equites fusi ac fugati: Amirallius ducẽtis Gallis equitibus sexcẽtos Germanos adortus, crebris pistularum ictibus appetitus, atque ad dexterã narium partẽ vulneratus est. Cùm depressum oris tegmentum haberet, neque fluentem ex vulnere sanguinẽ exspuere posset, balteus autem & gladius crebris pistularum ictibus excidissent, neque thorax, nisi superioribus loris sustineretur, ceteris glandium feruore vstulatis, tandem Plorinerij adolescentis Normanni, quem domi puerum educarat, auxilio, fidelíque opera, è turba remotus est: disiectísque copiis ad opidum Parthenæum ab amicis abductus est. Hîc constantiam ipsius animíque

magni-

magnitudinem admirari licuit. nam cùm tanta clade accepta plerique & animum & spem abiecissent, consolari confirmaréque singulos instituit: confestímque scribis suis omnibus aduocatis, litteras in omnes Galliæ partes circummisit, ne Religiosi, qui alibi in armis erant, animo deficerent, néve tantum vulnus acceptum existimarent, vt non ei paucorum dierum spacio mederi posset. Nocte intermissa, Niortum profectus est: vnde constitutis rebus Santones adiit, ibíque dies septem curando vulneri commoratus est, quod persanari minus quinque & viginti diebus non potuit. Tantis superiorum laborum oneribus, tantáque solicitudine ac difficultate affecto Amirallio, nunciatum est, S.C. à Parlamento Parisiensi factum XIII. Septembris, M. D. LXIX: quo læsæ maiestatis damnatus fuerat, præmiumque aureorum quinquaginta millium ei propositum, qui illum viuũ ad Regem adduceret. Eodẽ ferè tẽpore eidem nunciatũ est Martinengũ quendam Italũ, proditionis in patria dãnatũ, Castellionẽ à Rege cũ aliquot cohortibus missũ fuisse, ipsiúsq; aduẽtu, nõ modò arcẽ direptã, vasáque preciosa multas per ætates relicta, quæ

illi domui ornamento eſſe ſolebant, rapraca, & diſſipata, quorum precium non minus centum aureorum millium eſſe conſtabat: verumetiam opidum ſub arcem poſitum, ita incenſum conflagraſſe, vt vix vllum opidi veſtigium ſupereſſet. Quo nuncio accepto, tantum abfuit, vt grauiorem animo dolorem Amirallius conciperet, qui eum à rebus gerendis debilitaret; vt ne in ipſius quidē vultu vel minima perturbatio appareret. quinetiā cùm amici propinquíque conſolādi cauſſa cōcurrerent, conſtanter iis dicere ſolebat, ſibi hunc animum ſingulari Dei beneficio tributum eſſe, vt ea quæ appellantur bona, ipſe haberet, non ab ipſis haberetur: ſuas ſibi fortunas ſemper ſubiectas, non ſe vnquam illis ſubiectum fuiſſe. Itaque bellis omnibus ciuilibus cùm plerique omnes Principes, proceres, nobiles, equites, peditéſque ipſo ſe bello ſuſtentarent, & poſſeſſionibus ſuis ab Rege occupatis, in diem & ex die viuerent: tamen Amirallius cum opidò paucis inuentus eſt, qui ſuo familiǽque ſuæ nomine, pecuniam cauponibus, hoſpitibúſque perpetuò ſolueret. qua de cauſſa, non modò magnum æs alienum

grandi fœnore contraxerat: verumetiã magnam partem mundi vxorij & moniliũ atque ornamentorum oppignerarat: atque in eó tandiu perseuerauit, dum omnibus rei familiaris præsidiis nudatus (quod ferè sub finem tertij belli ciuilis accidit) in Principum concilio postulauit, vt sibi quoque aliquid subsidij ad onera familiæ sustentanda concederetur. Per id tempus Amirallius suis & fratris Andelotti filiis, qui Rupellæ (vt superius demonstratũ est) eodẽ vtebantur præceptore, epistolam sua manu scriptam misit: quam manum ac chirographum nactus, dignum existimaui, quod hunc in locum totidem propè verbis cõuersum referretur.
S. Gratissimum mihi fuisset, coràm hæc vobiscũ agere: vósq; vnà videre, atque alloqui. Sed quoniã eius rei facultas mihi iã adepta est, visum est, vos admonere, vt pietatem ac timorem Dei semper ante oculos habeatis. præsertim cùm vsus iã & experientia docere vos potuerit, non magnopere iis quæ bona nominãtur, confidendum esse. Alio loco, quàm in his terris, spes nostra nobis locãda est, aliæque parãdæ artes, quàm eæ quæ oculis cernũtur, & manibus contrectantur. Sed quoniam id in nostra potestate positum nõ

est,præsidium à Deo suppliciter petendum est,qui nos in certissimam ac tutissimã viã perducat.neque verò sperandum vobis est, viam illam amœnam ac delicatam fore, & prosperis rebus omnibus circumfluentem. Iesus Christus, qui nobis præiuit,qui Dux ac signifer noster fuit, nobis sequendus est. Homines quidẽ ea nobis eripuerũt,quæ poterant eripere. Si eadem hæc Dei voluntas perpetuò manserit, beati erimus:ac præclarè nobiscum agetur. nam vobis quidem hoc detrimentum illi, non ob vllam acceptam à vobis iniuriam, intulerunt: sed odio mei vnius: cuius odij nullam esse aliam caussam constat, nisi quoniam Deus labore atque opera mea vti in Ecclesia sua subleuanda dignatur. Itaque, si propter hanc caussam damno atque incommodo afficimur, beati sumus: & præmium habebimus eiusmodi, in quod nulla hominibus potestas erit. Habeo alia complura; de quibus ad vos, si otium esset, scriberem. Mihi in præsentia satis erit, si vos moneam, ac per Deum obtester, vt fortiter in virtutis studio pergatis: atque vt tum in factis, tum in sermonibus vestris, totáque vita demonstretis, quantopere

rè ab omnibus vitiorum generibus abhorreatis. Præceptori veſtro, & aliis qui vobis præpoſiti ſunt, obtemperate: vt ſi minus frequenter præſentia & conſpectu veſtrò frui poſſim, at certè ſæpenumero intelligam, vos bonis atque honeſtis moribus ornatos eſſe. Extremum hoc erit, ſi Dei voluntas ferat, vt aliquid propter ipſius religionem, vel in capite, vel in fortunis noſtris incommodi patiamur, beatos tamen nos ac felices numeremus. Equidem ab eo peto quæſóque, vt vobis præſidio & adiumento eſſe velit: veſtrámque adoleſcentiam tueatur. Valete. Ex opido Santonum. XVI. Octobris, M. D. L X V I I I I. C A S T E L L O N I V S. In eodem Santonum opido, cùm de ſumma rei crebrò concilium aduocaretur, tandem de procerum omniũ ſententia, placuit, confirmatis opidis, & cohortibus aliquot præſidio diſpoſitis, in Tholoſatiũ fines cũ expeditis equitibus proficiſci: vbi Montalbanũ opidũ natura & manu munitũ à Religioſis tenebatur: qui nõ exiguã pecuniæ ſummã ad ſtipẽdiũ Germanis perſoluẽdũ coegerãt. ſimul ſpes erat, tranſmiſſis duobus fluminibus, Garũna & Lotto, eas ſibi copias adiungendi, quibus

Mongomerius, magnæ propter virtutem militarem bellique administrandi sciẽtiam auctoritatis, præerat: quarúmque opera Bearniam Nauarrorum Principis ditionem pacauerat. In eo itinere, quod propter viarum asperitatem laboriosissimum fuit, cùm ciuitates omnes præsidiis munitæ essent, põtésque intercidissent, & pontones à riuis auertissent: neque quisquã eo animo fuit, vt defatigatos viarum asperitate milites, ac plerosque inermes, lacesseret: neque quominus nauibus ratibúsque iunctis flumina transirent, quidquam moræ fuit. Itaque magno confecto itinere Montalbanum peruenerunt: quò ex opido Amirallius ad Regem & Reginam matrem, legatos cum his mandatis misit, vt suppliciter eorum omnium, qui secum in armis erant, nomine deprecarentur, ne tam multos fortes viros, qui in vtroque exercitu parati ad depugnandum erãt, mutuis vulneribus concidi paterentur; sed pro sua clemẽtia finem istis malis atque incommodis imponerent. Episcoporum quorundam & Cardinaliũ istud esse consilium, qui nunquam in aciem prodibant: præterea quorundam Italorum, qui Gallorum miseriis non commouebantur. Extremæ fuisse demen-

dementiæ, confirmare, ducenta Religioſorum millia, præſertim tanta nobilitate intermixta, ſine vllo negotio circumueniri ac deleri poſſe. Præterea multos deinceps in Catholicorum numero fore, qui communium malorum expertes futuri non eſſent. alios commiſſis pugnis, alios laborum magnitudine ac defatigatione interituros, pleroſque certè magna rei familiaris detrimẽta, magnáſque iacturas facturos. nõ ſatis Regiæ Maieſtati conuenire, quod Aulici vulgò de ipſo dictitabant: Regem ſuorum ſaluti non parcere, dum modò aduerſarios opprimeret. Tyrannicam illam eſſe vocẽ, non Regiam: Pereãt amici, dum vnà inimici intercidant. Pacis autem perfacilem eſſe conditionem, vt publici Cõcilij, quod Aureliæ habitum fuerat, edictíque Pariſienſis auctoritas valeret: religioníſque purioris libertas certis locis permitteretur. Ea legatione miſſa, conſilium ibidem captum eſt de tranſitu Garumnæ fluminis: quod inter noſtras & Mongomerij copias interiectum, propter altitudinem, latitudinẽ, rapiditatémque fluminis difficillimum tranſitu videbatur. Itaque Amirallius conſilium capit, opidum Marianum, quod in eius fluminis ripa poſi-

tum eſt,occupare.quo facto,cùm Mõgome rius alteram ripã obtineret, Amirallius pon tis hanc rationem inſtituit. Tigna primùm quatuordecim, longitudine pedum quatuor & viginti, ab imo præacuta, ferróque munita, fiſtucis in fluminis alueum adegit: totidémque in ſuperiore parte fluminis, aduerſa his & contraria defixit. tum binis è regione poſitis, trabem commiſſuris aptam, fibulíſque firmatã impoſuit. Pòſt, trabes directas binis quibuſque iugis iniecit, quas tabulis ad viam muniendam contexit. ab vtraque ripa ponticulus rotis duabus ſuſtinebatur: quo facilius equi vel in pontem adduci, vel è ponte in ripam perduci poſſent. ſimul operis firmãdi cauſa funibus & catenis vtraque in fluminis parte ad palos alligatis, vtramque tignorum ſeriem reuinxit. Opere effecto, biduóque in traducẽdis Germanis equitibus cõſumpto, nocte intẽpeſta nauis piſtrinaria ſecũdo flumine magno impetu, in pontẽ illata eſt: cuius impulſu, toto opere labefacto, pons interruptus concidit. Hanc noſtri totámq; illam ripam tenebant: ſed cùm indiligẽtiùs ſeruarẽt, neq; ſatis multis funibus reuincta eſſet, vi & rapiditate fluminis abrepta eſt. Hac de cauſſa cõmodius

visum est pōtonibus nauigiísque aliquot cō iūctis transitū Mongomerio munire: quem equites Germani, qui agmen illius claudebant, cōtinenter subsequuti sunt: paucis diebus ad reficienda corpora militibus concessis, Amirallius suas copias ad vrbem Tholosam adduxit: finitimáq; opidula non pauca, partim deditione in fidem atque amicitiam recepit, partim etiam expugnauit: cùm duo tantùm tormenta in exercitu haberet, quæ Montalbano secum aduexerat. Iis opidis cōfirmatis, ad Viuaretium, atque ad ripā Rhodani facere iter instituit: & quòd in Delphinatu nonnulli in armis erant, qui eius partibus studebāt, opidáque aliquot obtinebāt, suarum copiarū partem ad eos transmisit, si quas præterea vrbes tentare posset. Cuius rei administratio Ludouico Nassouio, de quo suprà mentionem fecimus: detulit: qui nauibus, ratibúsque iunctis, tantum reliquis Delphinatibus terrorem iniecit, vt omnes se fuga in opida reciperent. Sed cùm neque muralibus tormētis instructus esset, neq; diutius ibi cōmorādū putaret, satis & ad laudē & ad virtutē factū arbitratus, populatis illorū agris, incolumes copias paucis diebus ad Amirallium reduxit: quod cùm ipsius ani-

mi magnitudinem, tum in rebus gerendis industriam, magnopere tum apud Gallos, tum apud Germanos commendauit. Proximis diebus, Amirallius laborum magnitudine, cura, vigiliisque cōfectus, in morbum incidit: quo etsi grauiter afflictabatur, tamē cùm optimum esse iudicaret, quàm maturrimè ad flumen Ligerim accedere, nullo loco diutius commorari statuit; seséque lectica cum exercitu deportari iussit. Nam circa Charitium & Sācerram circiter duo armatorum millia conuenerant, quos sibi adiungi magni interesse iudicabat: eò magis, quia Cosseus Regni Mareschallus, post Santonicam victoriam, in Henrici Principis locum à Rege suffectus, in eas oras aduentare Regiis omnibus copiis dicebatur, & ad Amiralliū accedere: cui Amirallius per præconē, qui captiuorum caussa, in ipsius castra venerat, suis verbis nunciari iussit, nihil opus esse, vt tantum laboris caperet: se quamprimū ad ipsum venturum; eúmque tāti molestia itineris leuaturum. Cùm ad Forestam exercitus peruenisset, ecce rursus à Rege legati de compositione & pace concilianda. Nam cùm Aulici tantas copias renouatas, reparatúmque ab Amirallio, (qui paulò antè perditus

perditus ac desperatus videbatur) exercitũ audissent, magno terrore afficiebantur, ne Amirallius cum illis Charitianis copiis cõiunctus, rectà Lutetiam progrederetur: & senatorum Parisiensium, Aulicorúmque villas, & amœna prædia suburbana incenderet: quo incõmodo, senatores primariósque Tholosanæ ciuitatis affectos cognouerant. Parte itineris lectica (vt diximus) confecta, ingrauescere Amiralij morbus cœpit: neque abfuit Medicorum opinio, quin eius vim sustinere diutius, tantis præsertim curis confectus, non posset. qua de caussa Legatorum colloquia diremta sunt, intermissáque de pace tractatio. quam intermissionem nobiles aliquot magnæ inter Religiosos auctoritatis, cùm propter belli longinquitatem iniquius ferrent, atque apud Legatos quererentur, nõ æquum esse propter vnius Amirallij morbum, colloquium de pace abrumpi: siquid ei humanitus accideret, satis multos tamen superfuturos alios, cum quibus agi de compositione posset: responsum ab illis Legatis acceperũt, permirum sibi videri, quòd quãti sui Amirallij auctoritas esset, non viderent: qui si hodie (inquibãt) è vita excederet, cras vobis ne aquæ

quidem poculum offerremus. quasi verò nesciatis vnicum Amirallij nomen plus apud vos, quàm alterum tantum exercitum pollere? Proximis diebus recreato iam, confirmatóque Amirallio, cùm de compositione iterum in Concilio actum esset, delecti sunt, qui vnà cum Regiis Legatis proficiscerentur, mandatáque hæc deferrent: Religiosis nihil esse pace optabilius: nihil bello acerbius. Sed neminem esse, qui non acerbiores multo labores, atque adeò mortem ipsam præoptandam putet, quàm agnitam veri Dei Religionem abiurare. si Rex purioris Religionis libertatem (sicuti superioribus annis fecerat) eis permitteret, & opidis aliquot caueret: nullum fore, quin cupidissimè ac lubētissimè arma in perpetuum abiiceret. His datis mandatis, Amirallius castra mouit: neque ita multo pòst, opidum Reneducium ex itinere cepit, quò iam aliquot ex Cossianis antecursoribus peruenerant. neque ex illo tempore vllus ferè dies intermissus est, quin leuibus prælijs contenderetur. ac parum admodum abfuit, quin quodam die incensis ad dimicandum mi-

litum omnium animis, iusto prælio decerneretur: cùm inter vtrasque acies, riuo tantùm interiecto, Mongomerius primam aduersariorum aciem perrumpens, cui Valettius, Vasco, magnæ inter suos auctoritatis præerat, eos in fugam coniecit. Proximis diebus, Legati rursus à Rege in castra missi sunt, qui tantisper inducias postularent, dum quæ de compositione agi cœperant, transigerentur. Nam Senatores Parisienses (quorum magna in primis apud Regem erat auctoritas) vehementer, vt diximus, vastitatum & incendiorum minis perterrebantur: neque vllum tota Gallia genus hominum est, qui aut acrius ad bellum excitet, modò procul à suis finibus geratur: aut ignauius, cùm ad ipsos accessit, quasuis pacis conditiones subeundas putet. Legatis vltrò citróque aliquoties missis, tandem Edictum Regis allatum est, quo exercendæ, colendæque Religionis potestatem certis locis permittebat: simúlque de ipsius firmitate, opidis quatuor cauebat: Rupella, Montalbano, Cognaco, & Charitio. Ea pace, quæ tertia numeratur, facta, Edictóque Regio cuncta Gallia promulgao, Amirallius, reductis in Germaniæ fineis

equitibus Germanis, Principes adolescentes Rupellam ad Nauarrorum Reginam reduxit: ibíque tātisper commorari statuit, dum constabilitam vbique pacem cognosceret. paucísque pòst mensibus, confisus Regis pollicitationibus, simúlque ipsius, & fratrum, & Parlamentorum omnium iureiurando fretus, cùm tot laboribus exantlatis, aliquid se quietis nactum existimaret, rogatus ab amicis, animum ad nouas nuptias adiecit: inuitatus præsertim à propinquis Iacobæ Monbellæ Baronis Antonij viduæ, Comitis Intermontani filiæ: cuius de modestia, & pietate, sanctissimísque moribus multa iampridem audierat. Itaque honorificè ad se Rupellam vsque perductam, vxorem sibi adiunxit: neque ita multo pòst filiam suam nomine Ludouicam, Thelinio, præcipuæ nobilitatis atque eximiæ virtutis adolescenti, in matrimonio collocauit. Hoc Thelinio, propter indolem eximiam, nemo ex omni nobilitate Gallica, Regi carior ac iucundior videbatur. Itaque constat inter omnes, huius vnius oratione inductum Amirallium, summam de Regis erga se fide ac beneuolentia opinionem cōcepisse. Aliquanto pòst, anno

salutis Christianæ M.D.LXXI. Amirallius blandissimis & honorificétissimis Regis litteris Blesas ad Aulam inuitatus est: rogatúsque, vt matrimonij inter Margaretam Regis sororem, & Henricum Nauarrorum Principem conciliator esse vellet: cùm identidem hoc Rex per suos legatos ac nuncios demonstraret, nullum firmius pacis, concordiæque publicæ coagmentandæ vinculum excogitari, aut certiorem reconciliandorum ordinum rationem inire posse. Paucis post Amirallij discessum diebus, Guisius adolescens, Cardinalis patrui cōsiliis, matrísque suasu impulsus, veterem de nece patris querelam reuocare instituit. Qua de caussa Rex suam auctoritatem interposuit; formulámque compositionis iis præscripsit: quam ab vtrisque iurari, & amborũ signis confirmari, omnémque illius dissensionis memoriam funditùs deleri statuit. Verumtamen, cùm proximis diebus Guisius magno armatorum comitatu Lutetiam venisset, atque Amirallius, qui tum se Castellionem receperat, ea de caussa per Thelinium generum à Rege petiisset, vt sibi aliquantum præsidij domi habere liceret: Rex ei manu sua scripsit,

litterísque Bricmaldo, summæ virtutis atque existimationis viro, perferendas dedit: Gratissimum sibi fore, si quamdiligentissimè sibi Amirallius caueret: eique potestatem fecit, quantumuis magno præsidio, & se & suam arcem muniendi: petere, vt suæ erga ipsum beneuolentiæ confideret: neque dubitaret, quin, quantum præsidij ac tutelæ bono clienti à bono patrono deberetur, tantum sibi ab ipso sperandum & exspectandum esset. Has litteras pluribus verbis in illam sententiam compositas, cùm Regis manu scriptæ essent, quamplurimi magna cum voluptate legerunt: neque de certissima Regis aduersus Amirallium beneuolentia dubitandum amplius iudicarunt. Itaque hanc rei gerendæ occasionem Ludouicus Nassouius, de quo suprà mentionem fecimus, sibi non prætermittendam arbitratus, Aransij fratris sui nomine cum Rege (à quo secretò ad Aulam inuitatus fuerat) agere instituit, ac demonstrare, complures esse in inferiore Germania ciuitates, Hispanorum insaniæ, libidinis, auaritiæ & crudelitatis pertæsas: quæ, si dexteram illis Rex porrige-
rer,

ret, libentissimis animis se in ipsius fidem ac ditionem commendarent. Diebus aliquot in hac actione consumptis, tandem Rex Nassouio fidem dedit, se primo quoque tempore Amirallium magnis copiis eò missurum: pactáque inter eos hæc conditio est, vt si bellum illud secundos exitus haberet, tum omnis regio ab Antuerpia in Picardiam vsque, Regi cederet: Hollandia verò, & Zelandia, & Frisia, Principi Aransio relinqueretur. Per id tempus interceptæ sunt Cardinalis Peluei litteræ, ad Cardinalem Lotharingum in hanc sententiam scriptæ: Regem nunquam melius animatum fuisse. Itaque propter singulare ipsius & Reginæ matris, & Henrici Andium Ducis studium, sese in summam spem de prospero communium consiliorum euentu venisse. Regem, Amirallij ad Aulam aduentu, multo se prudentius gessisse, longéque commodius personam suam sustinuisse, quàm quisquam ipsorum sperasset: quo facto, Regi persuasum esse, Amirallio, nullam suspicãdi, aut secus de sua erga se beneuolẽtia existimãdi, occasionẽ relictam esse: quod totius cõsilij inter ipsos initi

firmamētū esse, Lotharingus nō ignoraret. Sermonem iniectum de bello Hispanorum Regi inferendo: quem sermonem ita liberaliter Rex exceperat, vt Amirallius optimam de Regis erga se beneuolentia opinionem concepisset. Vtendum his artibus fuisse, dum euentus occulti consilij exspectaretur: Regem Hispaniæ diligenter de rebus omnibus certiorem esse factum, datámque operam, ne illo apparatu bellico, qui ad speciem factus erat, commoueretur. nam hæc omnia ad optimi cōsilij exitum accommodata fuisse. Itaque quidquid vel antea Cardinalis geri audisset, vel deinceps auditurus esset, confideret, Regem ab eo, quod semel susceperat, non discessurum. Quidquid fieret, quidquid gereretur, ad propositum consilij finem dirigi atque accommodari. Nihil vel Regi, vel ipsius matri & fratri tantæ esse curæ. Simulatque confectum negotium foret, sese quamcelerrime ad Lotharingum scripturum, & certum fidelémque nuncium data opera missurum. Quantum ad Nauarri Regis nuptias attinebat, sperare se propediem illas confectum iri. Hoc enim re-

rum gerendarum exordium esse oportere. Interea tempus, quod quatuor opidorum oppignerationi præstitutum fuerat, effluere. Earum litterarum exemplū qui Amirallio mittebat, sperabat fore, vt is lectione illarū admonitus, sibi præcaueret, matureque rebus suis prospiceret. Sed tanta fuit ipsius, de Regis fide & summo erga se studio, fiducia: Thelinij præsertim generi suasionibus assiduis confirmata: vt qui ceteris in rebus omnium acutissimus, maximéque perspicax videbatur, hac vna in re fato quodam suo, caligaret. Verùm eius totius rei narrationem, & tragicos euentus, simulque Nauarricarum nuptiarum celebrationem, pompas, & ludorum magnificētiam, Furialis Carnificinæ narratio summatim complexa est. Itaque quæ ad extremū vitæ Amirallij tempus pertinent; quorum certissima testimonia nacti sumus, deinceps exponemus: si prius exemplum litterarum ediderimus, quas ipse manu sua, illo ipso nuptiarum die, Lutetia vxori prægnanti scripsit. Nam cùm chirographum ipsum haberemus, quod ad veritatem historiæ, magnum habiturum pondus videbatur non prætermittēdum hoc loco putauimus. Lit-

teras autem propè ad verbum cõuersas exscripsimus. S. Hodierno die (charissima atque optatissima coniux) nuptiæ sororis Regis, & Nauarri Regis celebratæ sunt. Deinceps triduum, aut quatriduum in ludis, cõuiuiis, laruatis choreis, & certaminibus ludicris consumetur. Rex mihi confirmauit, se postea dies aliquot tributurum audiendis querimoniis, quæ ex variis sui Regni partibus allatæ sunt de pacificatorio ipsius Edicto violato. Cui rei æquissimum est, me operã dare, quantum eniti atque efficere potero. Etsi enim summa tui videndi cupiditate afficior, tamen & mihi, & tibi (vt opinor) ægre esset, si meum in eo negotio curando studiũ atque officium defuisset. Neque tamen hæc mora tantopere discessum ex hac vrbe retardabit, quin proxima septimana mihi decedere liceat. Si solius mei cõmodi rationem haberem, iucundius mihi foret, tecum esse, quàm diutius in hac Aula commorari, ob eas caussas, quas coràm ex me cognosces: sed maior Reipub. quàm aut studij, aut emolumenti priuati ratio habenda est. Habeo alia nonnulla, quæ tecum communicem, vt primùm tui conueniendi facultas dabitur: quo desiderio sanè &

dies & noctes afficior. Ceterùm, quod tibi in præsentia nuntiare possum, est huiusmodi. Hodie quarta iam hora post meridiem abierat, cùm missificatio nuptialis celebrata est. Dum illi opera dabatur, Rex Nauarrus in area quadam extra fanum, vna cum aliquot Religionis nostræ nobilibus, qui eum assectati fuerant, inambulabat. Alia sunt complura minutiora, quæ tantisper differam, dum nobis colloquendi facultas dabitur. Interea Deum oro, charissima atque amantissima coniux, vt tibi præsidio esse velit. Lutetiæ Parisiorum, XVIII Augusti, MDLXXII. Tribus abhinc diebus cholicis doloribus partim ventosis, partim calculariis sum vexatus. Verùm illi, beneficio Dei, non amplius octo vel decem horas durabant. ac iam (quæ Dei benignitas est) illis doloribus sum liberatus. Confirmo tibi, me in istorum conuiuiorum & ludorum turba, nemini molestum futurum. Iterum vale. In imo litterarum, subscriptum erat: Amantissimus tuus coniunx, CASTELLONIVS.

Quincto, post illas datas, die, qui fuit dies Augusti XXII: cùm Amirallius domum ex Regio consilio sub prandij tem-

pus rediret, ac præter ædes Villemuri Canonici, & Guisij adolescentis præceptoris, iter faceret, per clatratam fenestram ab arcibusario ictus, tribusque locis vulneratus est. nam & dextræ index attritus, & læuũ brachium glandibus æreis transfixum est. quam rem eadem, quam superius commemorauimus, Furialis Carnificinæ historia strictim complexa est. Itaque continuò Medici, Chirugique aduocantur. In his Ambrosius Pareus, chirurgus Regius, qui magnam medicæ artis scientiam habere existimatur. Qui harum deinceps rerum testis ac spectator fuit, brachium Amirallio, in lectulo decumbenti, sustinebat. Ambrosius à digito contrito medẽdi initium facit: eumque non sine graui dolore abscindit. nam cùm forcipibus nõ satis acutis vteretur, ter illas aperire, ac ter premere coactus est. Pòst in læuo brachio, vtrinque partem illam incidit, quam glans ærea perfoderat. quem dolorem Amirallius non modò forti animo, sed etiam constanti vultu sustinuit. quinetiam, cùm ij qui & lacertos sustinebant, & illas incisiones spectabant, tẽperare sibi à lachrymis non possent, Amirallius eos perculsos conspicatus: Amici, in-

quit, quid fletis? Beatum verò me iudico, qui pro Dei nomine, plagas istas acceperim. Simulque Merlinum verbi Dei ministrum conspicatus: Hæc, amici (inquit) Dei beneficia sunt. ego doloribus quidem afficior: sed hanc Domini ac Dei nostri voluntatem esse agnosco: eiúsque Maiestati gratiam habeo, quòd me tanto honore sit dignatus: cui propter sanctissimum suum nomen, doloris aliquid imponeret. Oremus eum, vt mihi perseuerantiæ donum impertiat. Tum Merlinum mœrentem ac lamentantem intuitus: Mi Merline, inquit, quin tu me potius consolaris? Verò, respondit Merlinus: neque maior consolatio vlla est, neque certior, quàm si istud ipsum idẽtidem cogites, magno te honore à Deo affectum esse: quòd te dignum statuerit, qui pro ipsius nomine & Religione, dolores istos sustineas. Mi Merline, respondit Amirallius: si me Deus pro meis meritis, ac pro dignitate mea tractaret, ac suo iure mecum ageret, longè alij mihi perferendi cruciatus essent. Sed benedictum sit nomen ipsius, qui sua mansuetudine & clementia erga me indignissimum ipsius seruum vtitur. Eia, subiecit alter: Macte ista pietate. nam cùm

Deus multo maximam tibi corporis partē incolumē reliquerit, est quod ipsius mansue tudini gratiæ agantur. Itaque maius in istis vulneribus misericordiæ, quàm iræ diuinæ argumentum habes: præsertim cùm caput, atque animum inuulneratum reliquerit. Tum Merlinus, Optimè agis, inquit, qui mentem, & cogitationem à percussoribus, & iis qui vulnera ista imposuerunt, ad Deum solum auertas. nam eius certè manus fuit, quæ tibi plagas istas imposuit: neque de sicariis & latronibus quidquam hoc tempore cogitandum est. Cui Amirallius, Ego sanè & percussori, inquit, & iis qui percussorem apposuerunt, sincerè atque ex animo ignosco. Certum enim habeo, non esse in eorum potestate vllo me incommodo afficere, ne si necem quidem mihi afferrent. mors mihi certissimus est ad vitam transitus. quod idem verbum aliquanto pòst, apud Mareschallum Dãuillium, qui eum inuisit, audiente Merlino (qui è Carnificina superstes est) iterauit. cumque idem Merlinus demonstraret, calamitates & ærumnas, quæ piis hominibus in hac vita accidunt, plerumque ardentius illos ad Deum inuocandum excita-

re, & ad venerandam Dei potentiam acuere, continuò Amirallius magna voce ac vehementi studio in hæc prorupit verba: Domine Deus, Pater cælestis, miserere mei, pro tua lenitate & clementia. ne memineris anteactæ vitæ meæ, & scelerum meorum. Si nostra scelera, si nostram in tuis legibus violandis, leuitatem ac perfidiam spectare velis, quis consistet Domine? quis vim iræ tuæ sustinebit? Ego te, remotis fabulosis diis omnib. vnum inuoco, & Patrē æternū æterni Dei Iesu Christi, agnosco ac veneror. Per eum te obtestor, vt Spiritum sanctum tuum, & donum patientiæ mihi impertias. Sola tua misericordia confido. in ea sola mea spes omnis posita est, siue præsentem mihi mortem afferre, siue diutius vitam propagare voles. ecce ad vtrumque paratum me profiteor: nihil dubitans, quin si mihi mors obeunda sit, continuò me in beatam ac cælestem pacem sis admissurus. quòd si me diutius in vita manere patiaris, da mihi, Pater cælestis, vt quod reliquum vitæ tempus restat, id omne in propaganda tui nominis gloria, in sanctissima tua Religione colenda & obseruanda consumam. Hac oratio-

ne abſoluta; nihilominus ex eo Merlinus quæſiuit, placerétne, vt ipſi quoque Miniſtri ſuam cum illius oratione precationem adiungerent. Cui Amirallius: Peruellem, inquit: ac tu Merline, huic cœtui noſtro verbis præito. Dum orationem Merlinus ad præſentẽ caſum accõmodatam pronũtiabat, Amirallius ſublatis in cœlum oculis, mirum in precando animi ardorem oſtẽdebat. Precatione abſoluta, cùm Merlinus, veterũ exempla Martyrũ proferret, atque vſque ab Adamo & Abrahamo commemoraret, neminem vnquam egregiè ſuam operam Deo & ipſius Eccleſiæ nauaſſe, quin multis incommodis affligaretur: orationẽ illius Amirallius interpellauit, dixítque ſentire ſe vehementer illius ſermone confirmari, magnumque ex illa Martyrum & piorum Patrum commemoratione ſolatium accipere, ſuóſque dolores magnoperè ſedari. Non multo poſt, Coſſæus & Dãuillius, Regni Mareſchalli, ad eum accedũt. Confirmant, caſum illum ſibi vehementer dolere, nihilque iampridem grauius, acerbiuſque tuliſſe. verumtamen æquum, & vſitatæ ipſius fortitudini conſentaneum eſſe, vt ſe colligeret, virumque præberet. multo

plus ei ſuam virtutem dediſſe, quàm caſu illam abſtuliſſe. Tum Amirallius ad Coſſæum conuerſus: Meminiſtíne, quod tibi nuper prædixi: tantumdem profectò te manet. At Danuillius, Mi Amiralli, inquit: ego te neque conſolari, neque ad fortitudinem animi, & conſtantiam cohortari inſtituam. tute ille es, à quo conſolationes & eiuſmodi præcepta fortitudinis accipiuntur. ſed vide quæſo, qua in re mea tibi opera vſui eſſe poſſit. Demiror vndenam hæc euenerint. Cui Amirallius: Alius mihi præter Guiſiũ nemo ſuſpectus eſt. affirmare tamen id pro certo non auſim. Verùm, Dei beneficio, iampridem didici, neque meos inimicos, neque mortem metuere: quam certò ſcio mali nihil mihi afferre poſſe: ſed potius beatam ac perpetuam quietem. Deũ enĩ, in quo ſolo ſpes meas locaui, ſcio neque fallacem, neque mẽdacem eſſe. quãquam in hoc meo caſu nulla mihi res acerbior accidit, quàm quòd ereptam mihi video facultatem declarandi Regi, quantum ipſius cauſſa vellem (hoc autem propter Flandricum inſtitutum dicebat) Vtinam mihi cum ipſo pauliſper colloqui liceret. nam habeo quædam quæ magno-

perè ipſius intereſt reſcire, neque quẽquã eſſe arbitror qui illa ad eum deferre audeat. Nauarrus intereà & Condæus apud Regem de tanti facinoris atrocitate querebantur. His Rex ita reſpondit: Enimuerò, Deum conteſtans iuro, me facinus iſtud ita ſeuerè vlturum, vt reliquis in poſterum exemplo eſſe poſſit. Mulier, quæ in ædibus reperta eſt, vnáque pediſſequus comprehenſi, & in carceres coniecti ſunt. Hora poſt meridiem circiter ſecunda, Rex de Amirallij deſiderio certior factus, ad eum acceſſit. Ei ſe comites adiunxerunt Regina mater, duo ipſius Regis fratres, Dux Monpenſerius, Cardinalis Borbonius, Mareſchalli Danuillius, Tauannius, Coſſæus, Comes Rhetius, Thoræus & Meruuius Danuillij fratres; quos Gonzaga Niuernenſis ſubſecutus eſt. De principio Rex omnes Amirallij domeſticos è cubiculo excludi iuſſit, præter Thelinium, ipſiuſque coniugem, & eum qui è Carnificina ſuperſtes, ſtudioſè quæ tum acta & dicta ſunt, animaduertit. Vbi Rex ad lectulum acceſſit: Gratiam verò tibi, Here (inquit Amirallius) quàm demiſſiſſimè poſſum, habeo atque ago, quòd me tan-

to honore dignatus ſis, tantumque laboris mea cauſſa ſuſceperis. Cui Rex blandiſſimis verbis de iſta fortitudine animi gratulatus, bene illum ſperare, bonóque animo eſſe iubet. Tum Amirallius: Here, tria ſunt, de quibus apud Maieſtatem tuam agere cupiebã. Primum eſt, de mea erga dignitatem tuam fide atque obſeruantia. Ita Deus mihi placatus & propitius eſſe velit, ad cuius tribunal me propediem fortaſſè hic caſus ſiſtet, vt Maieſtatis ac dignitatis tuæ ſemper fui ſtudioſiſſimus. Neque verò ſum neſcius, quam ſæpè maleuoli me apud Maieſtatem tuam calumniati ſint, & tanquam Regni perturbatorem criminati. Sed res ipſa, Dei beneficio, ſatis vel me tacente, declarauit, tantarum calumniarum cauſſam vnã hanc fuiſſe, quòd illorum audaciæ ac furori obſtiterim: Edictorumque tuorum auctoritatem aduerſus turbulentos ac violentos illorum conatus defenderim: neq; ferre potuerim, vt fidem quam toties interpoſito iureiurãdo tuis ſubiectis dederas, violarent. Huius mei animi Deus optimus teſtis eſt: qui hanc inter me & meos iniquos cauſsã cognoſcet, ac pro ſua iuſtitia diſceptabit. Porrò cùm tã multis in hoc Regno ſũmis honorib. atq; im

periis à patre, atq; auo tuo sim affectus, tuáq; liberalitate in iis cõfirmatus, facere pro meo erga te officio nõ possũ: quin abs te suppliter petã, vt tot perturbatonibus, quæ tuum regnum iampridem exercent, mederi velis. Venio nunc ad Flandricum institutum. nullus vnquam è tuis maioribus, tam præclaram rei bene gerendæ facultatem habuit. Multæ (vt scis) inferioris Germaniæ ciuitates amicitiam tuam expetunt: seséque in tuam fidem commendare cupiunt. Hanc occasionem, video in Regia tua, palàm ac publicè ludibrio haberi, & paucorum aliquot hominum culpa nobis eripi. Nuper eæ copiæ, quas Genlisius ducebat, ab Albano per insidias circumuentæ; magnáque ex parte fusæ ac profligatæ sunt. scis quantus Catholicorum numerus, in iis copiis fuerit. cuiusmodi tandem eorum religionem esse putas, aut quem in populares suos, eiusdem religionis cultores, animum habere, qui tantam illorum cladem derident? Vix ouum in tuo sanctiore consilio conuerti potest, vix aliqua vox emitti, quin illico ad Albanum perferatur. Ecquid, quæso, sperare possumus, cùm ii,

qui

qui in sanctiore illo consilio, tibi, aut fratribus tuis assident, occultissima quæque consilia peregrinis atque hostibus enuncient. hanc rem tantam, Here, tibi curæ esse, vehementer opto, atque vt deinceps sit, etiam peto. Postremum est, quod tibi non minori curæ esse cupio, Edicti tui pacificatorij obseruatio. scis te, iureiurãdo toties interposito, illud sanxisse: scis illius toties repetiti iurisiurandi, non modò nationes exteras, verum etiam Principes vicinos, atque amicos testes esse! Quàm indignum est, Here, iusiurandum istud tuum, propè iam pro ioco ac ludibrio haberi. Ecquid de te, & tua fide posthac exteri Principes, ac nationes existimabunt? superioribus diebus in Campania, non procul à Trecis, cùm infantem è Baptismo, nutrix domum referret, atque ex concione, quæ in pago, abs te ad eã rem assignato, habita fuerat, reuerteretur: seditiosi quidam, qui in insidiis latebant, & nutricem, & infantem, & comites aliquot, ad Baptismum illud inuitatos, trucidarunt. considera, quæso, quanta sit latrocinij illius immanitas, & quàm honestum sit, aut tuo nomini gloriosum, tanta scelera, passim in regno tuo, inulta atque impunita

relinquere. Huic illius orationi, Rex ita respondit: nunquam se de ipsius fide in dubium venisse: habere se illum pro bono ciue, ac viro forti, Ducéque præstanti: cuíque neminem in suo Regno anteponeret. Quod si aliam, inquit, de te opinionem habuissem, nequaquam, id quod antea feci, facturus fuissem. De Flandrico negotio, diligenter animaduersum est, Regem, ne verbo quidem respondisse. Verùm ad caput tertium sic respondit: Nihil sibi esse antiquius, quàm vt Edicta sua pacificatoria sanctè ac seuerè obseruarentur: eiusque rei caussa, Legatos se in omneis Regni sui prouincias circummisisse: cuius rei continuò testem Reginam matrem citauit: quæ ad Amirallium conuersa, Mi Amiralli, inquit, verius nihil est: missi sunt in omnes parteis Legati & commissarii. Quippe, respondit Amirallius: ex eorum numero, qui precium, meo capiti, quinquaginta aureorum millia, imposuerunt. Tum Rex, Mi Amiralli, Periculum est, ne ista contentio tuæ valetudini obsit. satius est, te quiescere. tibi quidem plaga, at mihi cõtumelia imposita est. Verùm Dei mortem obtestans, iuro, me ita

seuerè

ſeuerè iſtud facinus vlturum, vt poſteritati memoria prodatur. Habemus in cuſtodia, mulierem & pediſſequum qui in ædibus, comprehenſi ſunt. Ecquos de illis quæſtionem habere, & iudiciũ exercere poſtulas? Negotium hoc, reſpondit Amirallius, prudentiæ ac fidei tuæ committo. Cauannium tamen & Maſparottum, quandò à me ſententiam meam exquiris, adhiberi cuperem: ac tertum etiam Amirallius nominauit. Verùm is qui huius ſermonis teſtis fuit, nominis illius eſt oblitus. Facinoris certè auctorem (ſubiecit Amirallius) non longè conquirendũ arbitror. Pòſt illa, Rex & Regina propius Amirallij ceruical acceſſerunt, & aliquantiſper inter ſe ſubmiſſa voce collocuti ſunt. Verũ ex illo ſermone, is qui ad lectũ adſtabat, nihil aliud exaudire potuit, niſi quòd Regina mater ad extremũ dixit: Quáuis nihil ſim, niſi mulier, tamen maturè proſpiciẽdũ cẽſeo. Sub diſceſſũ Rex Amirallium monuit, vt ſe in arcem Regiam deportandum curaret: idémque aliquoties Comes Rhetius, Amirallij genero, & alteri qui ad lectulum adſtabat, dixit: ſimulque illud adiecit, vereri ſe ne eiuſmodi Pariſienſium motus con-

citetur, vt eum Rex facilè ſedare non poſſet. Huic reſponſum eſt, adhuc è tanto Medicorum numero, repertum eſſe neminem qui conſilium illud probaret: ac non iudicaret fore, vt corporis agitatu, tam recentiũ vulnerum dolor ingraueſceret. A Pariſienſibus autem (ſi modò de Regis aduerſus Amirallium beneuolentia conſtaret) nihilomagis, quàm à mulierculis timendum eſſe. Tantam eſſe paſſim cuncta Gallia, ac præſertim Lutetiæ Regij nominis auctoritatem, vt eius ſolius mentione plebs quã tumultis furens, atque inſana, continuò ſedari poſſit. Tum Rex, glandem æream, qua vulneratus Amirallius fuerat, videre voluit: quæſiuítque magnumne dolorem, cùm ei digitus & brachij pars incideretur, ſenſiſſet: cumque is qui glandẽ oſtendebat, tunicæ manicam ſanguine madefactam haberet, Rex ab eo quæſiuit, an hoc Amiralij ſanguine factum eſſet, an multum ſanguinis è vulneribus effluxiſſet. Cui alter, quæ viſum eſt, reſpondit. ac tum, Scio (inquit Rex) neque fortiorem neque conſtantiorem virum hodie in mundo reperiri poſſe: continuóque glandem red-

didit. quam cùm subsecuta mater, aspexisset, Gaudeo, inquit, glandem è corpore deiectam. nam memoria teneo, cùm Dux Guisius in castris interfectus esset, Medicos mihi aliquoties dixisse, siquid admixtũ veneni fuisset, eiecta glande nihil esse periculi. Tũ alter: Non fuimus, inquit, eo cõtenti, Hera. nam Amirallio medicamentum præbuimus, vt siquid veneni admistum fuisset, maturè prouideretur. Aliquanto pòst, profecto Rege, Ioannes Ferrerius Carnutum Vicedominus, in Amirallij cubiculum ingressus est: atque ipsum multis verbis cõsolatus, ad extremum illud adiunxit: Hostes ipsius apertè suam ignauiam prodidisse, qui ausi non fuerãt, nisi per clatratam fenestrã, eum adoriri. beatum autem & felicem Amirallium, qui tantæ virtutis laudem ad istam ætatem perduxisset. Cui Amirallius, Beatum verò me iudico, inquit, quòd me Deus sua misericordia sit dignatus. nam verè beati sunt, quibus iniquitates & scelera Deus cõdonat. Nõ multò pòst, admonitu Regis Nauarri & Principis Condæi, primores in conclaue, sub Amirallij cubiculum concesserunt, qui viderent, ecquid consilij ex re & tẽpore capi posset. Hic verò Ferrerius mul-

tis verbis contendit, quamprimum Lutetiā decedendum: neque dubitandum esse, quin hic primus esset actus tragœdiæ, quem alij, breui tempore subsecuturi essent. Alij cōtrà disputabant, satis esse si ius à Rege postularetur, atque vt illius facinoris animaduersionem decerni, iudiciúmque constitui imperaret. qua in sententia Thelinius obstinatè perstitit: cùm sibi Regis animum intus cognitum, penitúsque perspectum esse confirmaret: neque de ipsius fide, & beneuolentia secius aliquid existimandum. Postridie, amici aliquot Amirallij, certiores facti sunt, multa per vrbem tumultuosius agi, teláque multis locis comportari. commodissimum videri, maturè consilium capere: neque boni quidquam ex illo fremitu & concursatione exspectandum esse. Itaque vni ex iis, qui hæc testantur, negotium datur, vt ad Regem adeat, certiorémque illum de plebis motu, & armorum fremitu faciat, simul ab eo petat, vt præsidij caussa, paucos aliquot è satellitum suorum numero, pro foribus Amirallij, in statione esse imperaret. Quem vt Rex audiuit, protinus admodum (vt videbatur)

com-

commotus, atque admirans, quærere ex eo cœpit, écquísnam istud ei renuntiasset? tum, écquid ea res ad Amirallium perlata esset? simúlque Rhetio mandat, vt Reginam matrem accersat. Vix Regina introierat, cùm Rex permoto (vt videbatur) animo: Quid? malum, inquit: quid hoc rei est? iste mihi nunciat, plebem tumultuari & arma capere. Nequaquam tumultuatur, respondit illa: neque arma capit. sed scis te primo diluculo imperasse, vt omnes suis se regionibus continerent, ne quis fortè tumultus accideret. Hoc verum est, subiecit Rex: sed tamen interdixi, ne quis arma caperet. tum alter, vt reliquam mandatorum suorum partem conficeret, petere à Rege institit, vt præsidij aliquantulum è suo satellitio ad Amiralliũ mitteret. Cui Henricus, Dux Andicus, qui cum matre vnà venerat: Optimè; inquit: habetote vobis Cosseniũ, cum arcibusariis quinquaginta. At ille, Nobis (inquit) satis erit, si sex tantùm satellites è Regiorũ numero habeamus. Nã illorum auctoritas tantùm apud plebẽ, quãtũ complurium armatorũ numerus, valebit. Immò

verò, subiecit Rex, itémque Dux Henricus: Habetote vobis Cossenium: nullum deligere magis idoneum potestis. Quibus verbis, satis (vt videbatur) imperiosè pronuntiatis, alter, qui Cossenium nouerat Amirallij rebus infestissimum, tamen obmutuit. Ac non lōgè à Regio cubiculo digressus, Thoræū offendit, Mareschalli Monmorācij fratrem, qui ei in aurem admurmurans, dixit: Nemo vobis infestior attribui custos potuit. Cui alter, Animaduertisti, inquit, quàm imperiosè id Rex decreuerit. eius nos beneuolentiæ cōmisimus. mei tamē ad primū Regis imperium responsi, testis fuisti. Paucis pòst horis, Cossenius arcibusariis quinquaginta stipatus ad Amirallij ædes cōtendit: duásque sibi in propinquo tabernas delegit, in quibus præsidium illud suum collocaret. pauloque pòst sequutus est Rambulletus, Regiorum metatorum præfectus, qui, de Ducis Andici sententia, quam in illo superiore colloquio dixerat, nobiles omnes Catholicarum partium, qui in eo vico diuersabantur, migrare aliò iuberet: eáque diuersoria amicis & familiaribus Amirallij distribueret. quo consilio nullū neque callidius, neque aptius, ad ea, quæ posteriùs euene-

runt.

runt,excogitari potuit. Sub veſperam accidit,quod non exiguam ſuſpicionis cauſſam multis præbuit.Puer quidā venabula duo, in ædes Amirallij,iuſſu Thelinij,deferebat. Hunc Coſſenius depulit, venabuláque introferri vetuit.Res ad Nauarrum Regē delata eſt,qui tum erat cū Amirallio.Deſcendit Nauarrus.quærit ex Coſſenio, qua fiducia id faceret.Reſpondit apertè Coſſenius, mādatu imperióque Regis ſe id feciſſe. Verūtamē, quoniā ita tibi videtur,inquit, inferantur. Eodem die Rex identidem ad illius familiares ſummiſerat, crebróque illos admonuerat,vt quāplurimi ſe proximè Amirallij ædes conferrent,totámque illam viciniā explerent.Conſilio aliquot pòſt horis,ſub Amirallij cubiculum, conuocato, Malinius iterum priſtinam illam ſuam ſententiā renouauit, vehementérque inſtitit, vt Amirallius Lutetia exportaretur, vnaq; amici & familiares ipſius excederēt. multa ſe in horas animaduertere, quæ ſuſpicionē magnopere augerent. Contrà plerique omnes diſputabant,ius tātùm à Rege poſtulandum eſſe,ſimúlque petendum, vt Guiſiani omnes Lutetia excederent: quòd nimium apud plebem Pariſienſem pollerent.

atque hanc ſententiam,alia repudiata, Rex Nauarrus & Condæus, & plerique alij cõprobarunt:ídque eò magis, quia Thelinius contendebat, iniuriam Regi fieri, ſiquis ipſius fidem ac ſinceritatem in dubium vocaret: ſatis fore, ſi placidè ac modeſtè ius ab ipſo poſtularetur. recens eſſe negotium. ſi nimia contentio adhiberetur, verendum eſſe, ne Regis animus offenderetur. In eo conſilio affuit Bucauannius quidam Picardus. animaduerſum eſt, verbum ab illo, in eo conſilio, ne vnum quidem pronunciatum fuiſſe: ſed eum tacitum ſingulorum ſententias notaſſe, quæ res ſuſpicionem iamdiu de ipſo conceptam, vehementer auxit. Ac mirum pleriſque videbatur, eum qui ſe puriorem Religionem colere profitebatur, tamen, apud Reginam matrem adeò gratioſum eſſe, ac frequenter ad Rhetium, & ceteros Reginæ familiares ventitare. Circiter tertiam noctis horam, aliunde rurſus exorta ſuſpicio eſt, Coſſenij contumacia: qui cum Thelinij & Guercij loricas introferri animaduerteret, latorem depulit. Qua re cognita, Guercius, qui ingenio militari, atque in primis ferox habeba-

tur, ad Coſſenium accedit: cúmque malè verbis accipit, neque quidquam propius fuit, quàm vt manus conſererent. Verùm eam controuerſiam Thelinius, blanda oratione ſedauit, adoleſcens (vt inter omneis conſtabat) miti ac manſueto ingenio: & qui blanda Regis oratione delinitus, nullum vnquam eius ſinceritatis prædicandæ ac celebrandæ, vel modum, vel finem facere ſolebat. Itaque cùm & Guercius, & alij nonnulli, ex ipſo quæſiſſent, placerétne vt in Amirallij ædibus pernoctarent, excubiáſque agerent, omnibus reſpondit, nihil eo labore opus eſſe, amantiſſimiſque verbis gratias illis egit. Ex quo factum eſt, vt ea, quæ conſecuta eſt, nocte, in Amirallij ædibus hi ſoli pernoctarent, Cornatonius, Labonnius, Yolettus equorũ præfectus, Merlinus, verbi Dei miniſter, Ambroſius, chirurgus Regius, cubicularij, & miniſtri quatuor, aut ad ſummam quinq;. nã Thelinius in ædes ſuas, quæ Amirallij domũ attingebãt, ſeſe cũ coniuge, ſub mediã noctẽ receperat. In area tamen ad ianuã, quinque Heluetij excubabãt: quos Rex Nauarrus è ſuo ſatellitio, ibi, præſidij cauſſa, peruigilare iuſſerat. Aliquantò ante lu-

cem,renunciatum est Labonnio,esse pro fe
ribus quemdam, qui se Regis missu, ad A-
mirallium introduci postularet. Labonnius
sumptis illico clauibus ad ianuam accurrit,
illámque aperit. Hunc Cossenius arreptum
pugione interficit: simúlq; arcibusariis suis
stipatus impressionem in ædes facit: alios fu
gientes ac perterritos, alios occursantes tru
cidat. strepitu, ac tumultu omnia permiscet:
effractáque facilè altera ianua, quæ graduũ
ascensum intercludebat, vnóque ex Helue
tiis glande tormentaria interfecto, tamẽ ar-
cis aliquot obiectis, ab ingressu scalarũ pro-
hibebatur. Amirallius, & qui cũ eo vnà e-
rant, pistularum & bomborum sonitu exci-
tati, cùm de hostis impressione non dubi-
tarent, repentè ad terram prostrati, pacem à
Deo petere, atque ipsius misericordiam im
plorare cœperunt. Amirallius ipse lectulo
subleuatus, & nocturna toga tectus, Merli-
num verbis præire iussit, vehementíque ge-
mitu Christum Deum inuocans, spiritum,
quem à Deo fruendum acceperat, in ipsius
manus commendare instituit. Vbi harum
rerum omnium testis in cubiculum ingres
sus est, interrogatus à chirurgo Ambrosio,
quidnã istuc tumultus esset: alter ad Ami-
rallium

ralliũ cõuersus: Here, inquit, Deus est, qui ad se nos euocat. irruptio in ædes facta est: neque vlla resistendi facultas datur. Tum Amirallius: Iamdudum, inquit, me ad mortem comparaui. Vos, si qua facultas est; vobis consulite. nam meæ vitæ frustrà subuenire conaremini. ego meum animum Dei misericordiæ commẽdo. Animaduersum est ab iis, qui hæc testantur, Amirallij vultum nihilomagis perturbatum fuisse, quàm si noua res nulla interuenisset. Celeritérq; ceteri omnes (vno excepto, Nicolao Muscio, Germanicæ linguæ interprete, famulo fidelissimo) in superiorem ædium partẽ profecti, reperta in tegulis fenestra, saluti suæ fuga consulere cœperunt: ac nonnulli, noctis beneficio, euaserunt. Cossenius interea remotis arcis, ceterísque impedimẽtis, primùm Heluetios aliquot introduxit, virgatis vestibus ornatos, nigro, candido & viridi colore distinctis: ex quo intellectum est, eos è numero satellitum Herici Ducis Andici fuisse. Hi quatuor populares suos in scalis conspicati, neminem eorũ violarunt. Sed Cossenius, lorica & scuto tectus, districtúmque gladium intentans, vt primùm illos animaduertit, continuò proximum sibi

arcibusarium iaculari in illos iussit. quo vulnere vnus ex ipsis, repentè concidit. Irruptione in Amirallij cubiculum facta, Behemius quidam Germanus, in Ducatu Virtembergensi natus, patre (vt fertur) tormentorum muralium magistro, primus in cubiculum ingressus est, ibique sedentem Amirallium conspicatus; Non tu, inquit, Amirallius es? Cui Amirallius; Ego is sum, respondit: Tu verò, adolescens, caniciem & senectutem meam respice. Neque pluribus commutatis verbis Behemius gladium in caput illius adegit: primúsque se Amirallij sanguine cruentauit. Hunc Cossenius, Atinius, & ceteri subsecuti sunt. Reliqua quæ ad latrocinia & direptiones toto illo biduo, Lutetiæ factas, pertinent, iampridem in Furiali Carnificina commemorata sunt. Amirallij corpus è fenestra deiectum, ab adolescente Guisio pulsum calcibus, ac mox in lutum & publicam viam prouolutum, mutilũ, ignominiísque omnibus affectum, triduo pòst à furente multitudine in furcas Monfalconias, extra vrbẽ, deportatum, pedibusque suspẽsum est. Hoc plebis Parisiensis trophæũ, & crudelitatis atque insaniæ monimẽtum aliquot dies per-

mansit, quam illa non solùm in viuo, sed etiam in mortuo exercuit: quam non solùm nulla vnquam posteritas obliuiscetur, sed vrbi Lutetiæ fatalem fore, complures magno iudicio præditi augurantur. Sed paucis pòst diebus Amirallij corpus noctu, ab aliquot equitibus sublatum, & occulto in loco humatum est. Inter varias chartas, quæ direpta eius supellectile repertæ sunt, inuentum est ipsius testamentum, sub exitum nouissimi belli factum: quod Regina mater coram aliquot familiaribus suis recitari iussit. In eo caput fuit, quo testator Regi consilium dabat, ne fratribus suis nimias opes, nimiámque potentiam concederet. quo audito, Regina ad Franciscũ Ducem Alensonium Regis fratrem conuersa: En tibi, inquit, egregium amicum Amirallium: quem tu tam charum acceptumque habebas. Cui Alensonius: Haud scio, inquit, quantoperè mihi amicus fuerit: sed, certè quãtopere Regem amarit, vel hoc ipso consilio facilè indicauit. Neque dissimile Reginæ Angliæ legati responsum fuit: cui cùm Regina mater dixisset, Amirallium Regi suasisse, vt semper suspectam Anglorum potentiam haberet: Malus certè (respondit ille) aduersus

Angliam ille animus fuit:ſed aduerſus Galliam,ſingularis.Porrò Carnificinæ Pariſienſis nuntius,in Angliam, Scotiam, Germaniámque ad eos perlatus,qui eandem cum Amirallio Religionem Euangelicam colebant, incredibile dictu eſt, quantum in Regem & Reginam matrem, odium concitarit. præſertim cùm paucis illis diebus Religioſorum decem ferè millia,illa tempeſtate perculſi atque exanimati, in illas regiones profugiſſent:qui Amirallium ingentem virum,magnum & ſapientem imperatorem, & patriæ ſuæ decus nominantes,tāti ſceleris auctores, certiſſimos paricidas prædicabant. Eò accedebant multorum Germanorum adoleſcētium voces, & querimoniæ,qui ſtudiorum cauſſa in Galliam miſſi, eadémque illa tempeſtate perculſi, complures rebus ſuis omnibus nudati ac ſpoliati domum redierant: ac non modò tanti facinoris immanitatem, verumetiam vniuerſam Galliam apud parentes & propinquos execrabantur. Alij qui bellis ſuperioribus Amirallio ſuam operam nauarāt, virtutem illius paſsim apud Germaniæ principes commemorabant. nam (quod in re militari difficillimum putatur) non modò

consilio, sed etiam manu pollebat: cùm plerunque ex prudentia, timor: ex audacia temeritas nascatur. Non pauci præterea, qui familiarius domesticam Amirallij vitæ consuetudinem cognitam habebant, ad Principes profecti, summis laudibus innocentiam Amirallij, continentiam, modestiā, & mirum in religione colenda studium prædicabant: quod ex interioris & domesticæ vitæ consuetudine vel maximè perspici poterat. de qua quæ nobis partim ex aliorum testimoniis, partim ex visu & aspectu comperta sunt, summatim subiungemus. Vt primùm è lectulo surrexerat, quod satis maturè quotidie fiebat, nocturna superiniecta toga, genibus flexis in terram procumbebat: & cœtui vniuerso Deū inuocanti ac precanti, verbis præibat. Ibi, reliquis omnibus, ipsius exemplo, ad terram aduolutis, precatio fiebat ea formula, quæ Gallicis Ecclesiis vsitata est. Absoluta precatione, quod spacij ante concionis tempus intercedebat, id omne, vel delectis Ecclesiarum ad eum missis audiendis, vel aliis negotiis publicis obeundis, tribuebat. Pòst signo dato, concio alternis diebus habebatur, atque hymnus Dauidis cane-

batur. Dimissa concione, redibat ad negotia, tantisper dum prandij tempus veniret: quo parato, domestici omnes, præter paucos, qui cibaria prouidebant, in atrium, vbi strata erat mensa, conuenire, ibíque stante ad mensam Amirallio, ipsiúsque coniuge ad latus ipsius adstante, si habita concio non erat, hymnus vnus è Dauidis Psalmis canebatur: ac precatione vsitata, mensa consecrabatur. quod institutum non modò domi, atque in otio, verumetiam in ipsis castris, nullo intermisso die, seruari ab Amirallio solitum, non modò Galli innumeri, verumetiam complures Germanorum equitum duces ac tribuni (qui sæpenumero ad ipsius conuiuium inuitabantur) testes esse possunt. Sublata mappa, confestim Amirallius consurgebat: ac stans, adstante sibi coniuge, reliquísque item assistentibus, precationẽ & gratiarum actiones, Deo vel pronuntiabat, vel per concionatorem pronuntiandas curabat. ac cœnæ tẽpore, non modò idẽ tũ in precatione, tũ in Psalmis fiebat: verumetiã cũ suos domesticos omnes difficilius, somni capiẽdi tẽpore, conuenire ad nocturnam precationẽ videret, propterea quòd tempus


illud propter varias occupationes incertū erat, absoluta cœna adesse omnes iubebat: hymnóque absoluto, precationē nocturnā pronūciandam curabat. Quo exemplo dici non potest quàm multi è Gallica nobilitate ad eandem disciplinam in familiis suis instituendam, inducti fuerint, cùm eos crebrò Amirallius moneret, ad pietatem verè colendam, non satis esse, si paterfa. concionibus interesset, suamque vitam interiorem piè & religiosè institueret: nisi suos quoque familiares ac domesticos ad eandem vitæ rationem exemplo suo adduceret. Tantam illius pietatis ac sanctimoniæ admirationē, etiā apud eos qui Catholicarum erant partium fuisse constat, vt nisi cruciatus & carnificinas quæ postea cō secutæ sunt, perhorruissent, multo maxima Gallorū pars ad eandem religionē & disciplinā se conuertisset. Vbi Cœnæ Dominicæ tempus aduentabat, suos familiares ac domesticos ad se omnes cōuocabat, demonstrabátque sibi non modò vitæ suæ, sed etiam illorum consuetudinis rationem Deo reddendam esse. siquid inter illos discordiarum intercesserat, reconciliatione sedabat. siquis minus ad tantū mysteriū

intelligendum ac venerandum paratus videretur, hunc diligentius religione instituendum curabat. siqui peruicaciores videbantur, palàm edicebat, sibi satius fore, domi solum manere, quàm improborum comitatum alere. Iam verò Scholarum & disciplinæ puerilis institutum, singulare Dei beneficium existimabat: hoc seminarium Ecclesiæ, hoc tyrocinium pietatis appellabat. Litterarum inscitiam non modò Reipub. verumetiam religioni caliginem offudisse. In iis tenebris natam, altámque Romani Põtificis tyrãnidem; qui, vt Dis pater apud Poetas nocti ac tenebris, ita cæcis ignorantia & perditis imperitarat. Quocirca gymnasium Castellione sub arcem amœno & salubri loco instituerat, magnísque sumtibus exædificarat: ibíque doctissimos Hebraicæ, Græcæ & Latinæ linguæ interpretes, compluresque tùm pueros tùm adolescentes alebat. Porrò continentiæ ipsius summum hoc documentum fuit, quòd cũ maximis honoribus affectus, priuatis commodis seruire, & magnas opes aliorum Aulicorum exemplo parare potuisset: tamen ne vnum quidem agri iugerum, nullam villam, ad paternam hereditatem adiunxit.

Etsi autem frugaliter rem domesticam administrabat: tamen cùm ad illum omnibus ex Galliæ partibus, proceres, nobiles, generum omnium homines, publicorum negotiorum caussa ventitarent, quicquid parsimonia sua redigere pecuniæ poterat, in aduentum hospitum liberaliter impendebat. Itaque satis constat eum vel heredibus vel successoribus suis æris alieni onus reliquisse non minus quadraginta libellarum millibus: præter annua sex libellarum millia, quæ vsurarum nomine creditoribus pendebat. Neque verò silentio prætermittenda videtur incredibilis quædam animorum coniunctio, charitas & concordia, quam inter Castellonios fratres tātam fuisse constat, vt vnus propè ex tribus conflatus illorum animus videretur. Vixit Amirallius annos L I I. menses V I. dies V I I I. Statura fuit iusta, colore roseo, membris omnibus æqualis & congruens: vultu trāquillo serenóque, voce blanda & suaui: sed sermone cunctantiore & leni: valetudine satis prospera: gestu atque incessu venusto: præsertim cùm domi toga amictus, cum coniuge aut amicis inambularet. vini natura parcissimus: cibi & somni medio

cris: neque enim, cùm plurimum, amplius VII. horas quiescebat. Ac post nouissimæ pacificationis tempus, nullum abire diem sinebat, quin prius quàm se ad somnum daret, quæ superioribus bellis ciuilibus memoratu digna euenerant, sua manu in Ephemerides suas referret: quæ post ipsius mortem repertæ, atque ad Regium consilium perlatæ, magnam tranquillæ ac sedatæ mẽtis admirationem apud infestisimos quosque pepererunt. Quinetiam bello confecto, cùm se Rupellam (vt superius demonstratum est) recepisset, nullum præteribat diem, quin & manè & vesperi vnam è Caluini editis in historiam Iobi concionibus perlegeret: quam historiam, crebris sermonibus, animi sui consolationem, & in omnibus suis ærumnis panchrestum suum medicamentum appellabat. Ex priore vxore, quinque liberos suscepit: superstites reliquit, natu maximam Ludouicam, Thelinio (vt diximus) nuptam: qui eadem, qua socer, nocte, eadémque Furiali Carnificina interiit: tum Franciscum, Odettum, & Carolum: quorum duo, natu maiores, maturè ex Furiali Carnificina erepti sunt: tertius annos natus VII. menses VIII. quo
pater

pater propter festiuitatem vnicè delectabatur, ab aduersariis captus, ab ineunte ætate Christianam crucem ferre condocefactus est. Posteriorem coniungem Amirallius prægnantem reliquit, quæ quatuor pòst mensibus filiam peperit: domumque in Allobrogum fineis reuersa, paucis mensibus interiectis, Principis Philiberti imperio custodiæ mandata est.



FINIS.



ERRATA.

Pag.1.Psal.CXII. 7.lin.17.tribus relictis filiis
9.6. Bainsiũ obsideret 10.20. nunc quidẽ euiluit
16.7. quantã mutato 32.21. negotium facesserẽt
38.4. copias conduxerũt 50.17.infimã plebẽ 62.
20.Aureliã cũ liberis 69.22.vnáque filiã deduxit

Lucta D. Thomae contra prae
-ctiones physicas, imo etiam S. Au-
gustini contra Gratiam physice
efficacem. N.º 1. 213

-a Gasparis Colinii Castellonii ma=
-ni quondam Franciae Amiralii

